GASPARIS REALIS
ROMANI

Archiatri Collegialis, & Sacri Palatii Apoſtolici Medici.

EXERCITATIONES BINÆ

De convulſione, De motibus convulſivis cum ſuccedaneo Hydrope, De Lacte, ac De Pleuritide.

Convulſionum cauſam eandem eſſe Veterum ac Recentiorum demonſtratur.

SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTI XI.

PONT. verè MAX.



ROMÆ, MDCCII.
Typis Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI XI.

PONT. verè MAX.

Gaſpar Realis Petri Pauli filius



EMERITATIS fortaſsè notam incurrere videbor, Beatissime Pater, *quod Ti-*

bi ſapientià, & poteſtate Maximo opellam hanc, mole, doctrinà, ac virtute minimam ſiſtere audeam, quòd Nomen tuum immortale, & ſeculis memorandum omnibus caducis meis cartis, ac brevi interituris tempore inſcribam, quòd non verear tam obſcuro loco ponere idem Clementis Undecimi *Nomen, quod firmamento eſſet affigendum veluti ſydus publicæ felicitatis. Verùm quemadmodùm Sol planetarum princeps, cui Gentilia Tua ſtella, minimè cedit, non celeſtia tantùm corpora, non tantùm excelſos montes, ſed ignobiles quo-*

que terræ angulos, humilesque valles, sine ulla suæ lucis refractione pervadit, & illustrat; ita Nomen tuum dedecori sibi minimè ducet in obscurum hunc libellum particulam aliquam derivare illius immensæ lucis ac gloriæ quam è Summo Cælo Apostolicæ dignitatis in omnes mundi regiones effundit. Quod eò vel maximè mihi sperare licet, quòd Tu BEATISSIME PATER *dum summa agitas, infima non spernis, & loco licèt tam sublimi positus minora tamen etiam expendis, & ad minima queque Maiestatem Tuam inclinare non dedignaris. Obstupe-*

ſcit ſanè terrarum orbis BEATISSIME PATER, *nèc adhùc ſatis intelligit undè Tibi tantùm ſuppetat otii, undè Tibi longiùs ſolitò creſcant dies, qui cùm omnibus omnium gentium ac populorum neceſſitatibus, ope ac providentià accuratiſſimè præſto ſis, cùm tot ac tam implicità hàc noſtrà tempeſtate, Regum, Regnorumque negotia totus in illis indeſinentèr tractes, felicitèr expedias, cùm nulla Tibi ad privatam quietem vacet hora, ſpatium tamen invenis conſulendi publicis, ac privatis omnium rationibus, ſpatium invenis tantarum re-*

rum

rum quas à Te fieri in dies magis semper demiramur. Pleraque Urbis Templa frequentissimè celebras, ægros in publicis Nosocomiis aspectu Tuo recreas, infimæ plebis, ac peregrinorum hospitia invisis, aures præbes populorum confessionibus, Sacras illas Homilias conscribis, & dicis christianà eloquentià insignes, & Apostolicà Maiestate verendas. Et quid tandem fecisse legimus retròactis seculis, Leones, Clementes, Gregorios quod Tu unus ipse non facias, quodque Te peracturum sperare non liceat? Non ostendis Te sanè BEATISSIME PA-

TER

TER, *qualem Te prædicaveras, cum per triduum, atque trinoctium Pontificatum recusasti. Non ostendis, Te inquam, quemadmodùm tunc prædicaveras tanto regimini imparem, cum tot tantisque iam documentis onus quod invitus subiisti, invitus sustines, iurè meritò tibi impositum esse omnes agnoscant, & experiantur. Quid ergò mirum*, BEATISSIME PATER, *si Ego videns vigilantem illam Tuam providentiam quà nemini dees, incredibilem animi Tui amplitudinem quà omnes, & omnia complecteris, id quoque mihi sumpserim, ut tenuem*

hunc

hunc meum laborem Tuo excelſo ſubiiciam patrocinio. Erit hoc etiam maximæ benignitatis Tuæ argumentum, erit & leve pignus grati animi mei, qui cùm à Te maxima acceperim beneficia (ut de collatis in Parentem meum ſileam) pro illis Tibi reddere debeam quidquid ipſe ſum; cumque à Te didicerim publicæ utilitati manum, mentem, & ſtylum devovere, æquum eſt, ut quidquid manu, mente, & ſtylo laboraverim, Tibi eidem offeram, ut unde primum profectum eſt hoc meum alios iuvandi ſtudium, eò tandem reverti videatur

tur

tur. Interim ter Maximum, Optimumque Deum enixè deprecor, ut præsens hoc seculum, quod oriens Beatitudinem Tuam ad supremam Ecclesiæ dignitatem elatam vidit, videat etiam occidens sospitem, atque incolumem ut quæ in Christianæ Reipublicæ utilitatem moliris, & meditaris feliciter inchoes, feliciùs provehas, & felicissimè perficias.

BE-

Benevolo Lectori.



ASUS raritas ejusque faustus exitus inter domesticas adnotationes meas ad privatum studium, ut meus mos est elaboratas inseri jurè merebatur, ut verò tenuem hunc laborem ex umbra in solem, pulveremq; producerem, hoc nunquam meo in animo fuit, certus, quod sicùt tenellus fætus ex utero egressus ad solis radios expositum cæcitatem facilè incurrere potest, ità & opus hoc tenellum ratione tenuitatis operis, & Authoris publicæ luci commissum non parum subire potest damni: animo insupèr revolvens rem periculo plenam esse hominum omnium Judiciis, ac quod plerùmquè contingit nonnullorũ etiam invidiæ exilem famam meam arrodendam subiicere, (certus licet ipse sim non mihi, quod Plutarcus in Jacon. dixit, coaptari; Nemo cum fide loquitur de re, quam nullo modo est expertus) exilem famam inquam subiicere, elimato præsertim hoc sæculo tersis, &

per-

perpolitis ingeniis affluente, quibus opera summa etiam industria, & affabrè elaborata vix placet, quæque nodum in scirpo quærunt. Humanitati tamèn candidi Lectoris confisus, amicorum, collegarumque persuasionibus annuens publici juris opus facio, in quo desunt equidèm vires, tamèn est laudanda voluntas aliquid boni offerendi, novam præcipuè ac præstantissimam convulsionis curandi rationem per vitam lacteam, ablegatis videlicèt cibis omnibus, lacte tantùm, humano præ aliis, vivendo, ut rationibus, necnon uno experimento ex multiplici potissimo, pęnès me peracto tibi suadeã, sic & nõ vulgarem, nec tritam nonnullorũ Hypocratis aphorismorũ expositionem à nullo ad hùc commentatore exhibitã, prætèr Prosperum Martianũ, qui in expositione lib. 7. Epidemior. Hypocratis, necnon aphorismorum, quid similè tetigit. Cæterùm si quid dulce, & sapidum in eo fortasè invenies, Deum lauda, si quid autem amarum, vel insipidum gustabis, ingenium imbecille meũ, à quo est, contemne; gratum

tum autèm quæso animum habeas tuo palato delicato non nocendi, sed placendi; corrige interìm àt jugitèr veniam dà, neminem enim fugit quod nihil est ex omni parte beatum, ut commune fert adagium, & si fortè veniæ derisionem substitues, nec moror, nec miror, omnibus enim placere impossibile est, ut appositè Julii Cesaris Scaligeri carmina sonant.

Qui sævit ab alto pluviam satis præcatur.
At iter faciens imbribus imprecatur atris.
Non sæpè Deus placet, & tu placere credis.
Pascitur in vivis livor post fata quiescit.

Opella hæc duas habet partes, quarum altera in convulsione, & motibus convulsivis in pectoris Hydropem ultimò desinentibus immorabitur, undè obitèr de pectoris Hydrope, cujus propediem particularem tractatum Deo favente promam (quem spero forsan

non

non ut præſentis præcocis abortivi fætus ſed legitimi partus nomen adepturum, dixi præcocis, de eo quamvis conſcius, quod Clariſſimus Valleſius controuerſ. octava in præfat. ſcripſit, *Praxis Medica non ſit terendo calceos, ſed mentem exercendo comparatur*). Altera in pleuriride verſabitur, duobus pariter veluti ulnis tu illam benevole, & amice Lector complectere, humanitate ſcilicèt, & patientia. Vale.

IN-

INDEX

Exercitationum, ac Paragraphorum.

EXERCITATIO I.

* *con-*

§. IV.

§. IV.

§. V.

§. VI.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pál. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

LIbentiſſimè juſſis P. V. Reverendiſſime obediens legi *Exercitationes Medicas*, Excellentiſſimi D. Gaſparis Realis, ac in eis maturam inveni doctrinam, modeſtiam, ac prudentiam Authoris exprimentem, dignas proindè cenſeo ùt publici Juris fiant.

Bartholomæus Santinellus ex Romani Collegii Archiatris.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Pręd. Sac. Apoſtol. Pal. Magiſter.

DE



DE CONVULSIONE,

AC

MOTIBUS CONVULSIVIS

EXERCITATIO I.

PROLEGOMENON.



NTER humani corporis morbosas enormitates procùl dubio primatum obtinent illæ, quæ cerebrum in cranio contentum, & in vertebris elongatum invadunt, hæ quippè arduæ cognitionis extant, & ferè, ut ità dicam, suprà hominum captum. Qua de re nil mirum si hac de re scribentes quotquot legerim, ac de illarum fiendi modo pertractantes in tam ancipites sententias di-

ſtracti fuerint, nec ubi conſiſterent habuerint, undè Jo: Crato abſtruſam cerebri morborum percurrens indolem exclamat. *Utinam ante vitæ noſtræ exitum veram dignotionem, verumque remedium mali epileptici, & motus convulſivi aliquis oſtenderet.* Theodorus Collado in Obſervat. poſtquam cum multis, qua ratione convulſionis cauſæ procedant, diſputaſſet, tandem concludit. *Quarè cum doctiſſimis quibuſdam dicam hæc eſſe de arcanis naturæ, quæ nondùm quiſpiam ſcire penitùs potuit, & hic acquieſcendum;* & Eraſtus diſput. de Convulſione theſ. 131. ſcribit: *quod ſi jam ſciremus quomodò motis ſpiritibus rectè imaginetur, & appetat animal, haud difficilitèr, illud etiam perſpiceremus quomodò eiſdem motis perperam has actiones exercent.* Quod inſignium virorum aſſertum non mediocrem in me excitavit indagandi ardorem Epilepſiæ, motuum convulſivorum, & convulſionum genuinam æthiologiam, undè qua potui ſtudiorum meorum tenui-

nuitate clinicas observationes convulsionum, & motuum præsertim convulsivorum sedulò expendi, inter quas cum singularem, & sanè obstupescendam esse depræhenderim permanentem illam convulsionem, quæ Rev. Monialem quindecim annos obstinatè vexaverat, & à qua tandem eâdem nostrâ industriâ fœlicitèr vindicata est, libuit ab ejus historiâ initium trahere, cujus occasione tractatulum de convulsivo motu, & convulsione huic libentèr subnectam.

§. I.

Convulsionis permanentis & motus convulsivi habitualis historia exponitur.

REv. Monialis Monast. SS. Incarnationis de Urbe, vulgò *le Barberine*, Soror Anna Magdalena Bracciolini Pistoriensis annorum 40. circitèr humilis staturæ, corporis, babitus potiùs gra-

cilis, ad actiones, tùm animi, tùm corporis promptissima, statuto tempore opportunè, & satis menstruata cum aliquali tamen tùnc temporis in regione Hypogastrica tristi sensatione, jam supra quindecim, & plures annos convulsivis motibus, & convulsionibus per temporum intervalla inordinatè recurrentibns divexata fuerat. Morbus ob tam anxiam diuturnitatem habitualis evaserat, atquè de illius ægræ salute omninò desperabatur, etenim Medici ferè omnes Urbis, & Exteri in ea curatione omnem Medicæ artis operam, industriam omnem, nec quicquam exhauserant, atque ex tot, tantisque medicamentis fructum nullum, incommoda plura Monialis acceperat; tribus verò ab hinc annis cum majori quodam impetu, atquè insolentiùs iidem insultus in ægram insurgerent, neglectam diù Medicorum opem iterùm imploravit.

Ut verò ab ovo præpositæ narrationis ini-

initium ordiar, recurrendum mihi eſt ad annum 1697. & diem 28. Decembris, ubi Monialis in rigoroſam febrem incidit ad vigeſimamſecundam diem uſque perdurantem: Secunda febre denuò excitati ſunt convulſivi motus; qui gradus omnes, differentias, & ſpecies, quæ in convulſione, & motibus convulſivis requiruntur efformabant, ac conſtituebant, puta aliquando totum corpus convulſione ſubita corripiebatur, paulò poſt univerſi corporis partes antrorsùm, & retrorsùm flectebantur, ſæpiſſimè tamèn unam dumtaxàt corporis partem convelli vidi, uti oculum, os, ſtrabiſmum, & ſpaſmum cinicum efficientem, gulam pariter undè nil alimenti capeſſens ad extremam virium uſquè jacturam accedebat: palpebrarum præſertim motum extraneum à voluntatis imperio devium indignantèr patiebatur, adeòut videre liceret oculum ſiniſtrum cum palpebris ſuis in genę partem ſuperiorem è directo poſitæ, & inferio-

rem etiam cum labio distrahi, atquè convelli, simptoma ex improviso enascens, eodemque ritu emoriens reducem tamèn se pluriès in die ostentans affectus, itàut ob partium deformitatem in paroxismo, inque ejus deliquio ob naturalem compositionem, modò mulierem, modò monstrum aspiceres. Quotidiè paroxismo redeunte, dum in lecto decumbebat per horas sex, septem, octo, vel duodecim attonita, & Aphonica permanebat, atrocem capitis dolorem percipiens, quasi ejus cerebrum funiculis constrictum contraheretur. Respiratione quoquè sublimi, thoracisque dira constrictione angebatur, ut & singultu. Insupèr in toto corpore æstum, punctionisque sensum, veluti si urticis stimularetur, necnon circà hypocondriorum, & mesenterii regionem ardorem, & contractionem sentiebat, illæsa semper extante regione uteri, & ejus ligamentis rotundis, & latis, & vasis inguinibus adhærentibus, argumentum potissi-

tiſſimum morbum haùd caducum matricis eſſe. In longo hoc convulſivo conflictu tàm crura, quam pedes variis flexionibus, tortuoſiſque arcuationibus hùc, illùc diſtorquebantur, eædemque partes ſæpè ſæpiùs ex violenta convulſione in flaccidam paralyſim devolvebantur, quo pacto paraplecticam convulſionem efformabant.

Præfatæ paritèr partes repentè magna cum intumeſcentia, & tenſione apparebant, & tactui minimè cedentes, & ſi nimis comprimebantur, ſpaſmodici pręſtò erant dolores, motuſque convulſivi expergiſcebantur; hujuſmodi itaquè phænomena interpolatè ſequebantur magis, minùſque, juxta incrementum morbi, vel decrementum. Ingraveſcente igitur affectu miſera patiens motum acquirere minimè credebat, omnibus licèt auxiliis ipſi occurreretur; nam ſi quandò ſeſe movere tentaſſet, ſi fortè in dexteram magis, aut in ſiniſtram partem, minimum inclinaſſet, dicto citiùs totum

corpus convulsione corripiebatur , im-
mò si corpus in altum extollere curaret,
membra omnia adeò rigebant, ut po-
tiùs frangi , quam flecti viderentur : op-
positum occurrebat quotiesçunque , pe-
des & crura , veluti paralytica ità flacce-
scerent , ut si pedibus stare tentasset , ge-
minis innixa Monialibus illicò curvaren-
tur genua , & ad terram , usquè incli-
naret , & caderet , ni à Monialibus citò
inhiberetur . Lecto paritèr decumbens
crura , & pedes ut paralyticæ partes tra-
ctabantur ab adstantibus , hancque pa-
ralysim mox convulsio iterùm excipie-
bat gravi sanè omnium admiratione ,
queis cruciatibus divexata vivens omni
salutis spe prorsùs destituta jam manus
victas dederat ob tot incassum experta
medica auxilia , quæ tot , & adeò di-
versi generis extitere , ut ipsa infirma as-
seruerit pharmacopęam integram jam
assumpsisse , & revera ita res se habebat,
innumera namque purgantia , emetica ,
innumeri specifici pulveres exhibiti fue-
runt,

runt, omnis enim antiſpaſmodicus revolutus fuit lapis, pluries ſanguis miſſus, exiccantia decocta, ſulphurea balnea (quæ præ aliis medicaminibus tantùm non nocuiſſe, ut paululùm profuiſſe dicenda ſint) veſicantia, ſtuphas, uſtiones, unctiones, & alia generis hujuſmodi præſidia plurìes, atquè pluriès fruſtrà fuit experta.

His ità ſe habentibus, adversùs refractariam ſuæ paſſionis inſolentiam meam efflagitavit operam, quam, ut verum fatear, ægro animo aſſumpſi monitu Hypocratis pertertitus, qui in lib. de Arte ſcriptum reliquit *eorum qui à morbo victi ſunt curationem non aggredi, cum id in confeſſo ſit quod tales à Medicina ſanari non poſſunt*; Sola enim morbi diuturnitas ſpem omnem ſalutis removebat, cui & adde quod clariſſimorum jam plurium & conſulentium, & curantium Medicorum fœcundiſſimas Palladis arces infauſtè pluriès exercuerat, attamen, quià quandoque accidit deſpe-

rata salus, ut inquit Celsus, curationi me accinxi, morbique essentiam, causam, patientis roseum, floridumque faciei colorem, juvenilem ætatem, ordinatum lunare tributum, gingivarum erosiones, & alia phænomena superiùs jam recensita animo perpendens, mecum decrevi affectum convulsivum hunc, proscriptis jam anilibus vaporibus ex utero, aliàs insonte, & liene exhalantibus, item & horribili bestia archeo indignato posthabito pronasci à succo acri mordaci spiritus ab æquali emanatione deturbante, quod idem est ac famosa illa copula ætherogenea nitro sulphurea spiritus salino jactu, & in orgasmum percita, quapropter scopos curativos omnes collimavi ad succorum acrium dulcorationem, inanitionisque blandæ limphæ refectionem, quæ potis esset massæ salia diluere, & obtundere, ut jam adamusim patefecerat morbi recrudescentia ex purgantibus, atque stuphis enata, cui equidèm sententiæ tantò

tò firmiùs adhæsit animus, quantò clariùs Illustrissimus Lancisius Clarissimus Collega noster, & secunda vice dignissimus Archiater Pontificius in quadam consultatione duobus ab hinc annis pro hac Moniali habita mecum conveniens approbaverat nullis irritantibus, nullis volatilibus, aut refermentantibus, sed solis emollientibus, laxantibus, & stimulos retundentibus pertinacitèr utendum esse. Et cum de dignissimo hoc artis nostræ Antistite sermo inciderit, non possum hìc quin illum enixè deprecer, ut publicæ usuræ faciat suam antipraxim ad morbos capitis, quam obitèr tùnc temporis tetigit, in qua non solùm ostendit passiones sanguinis euntis, & redeuntis à cerebro, unà cum rationibus, atque usibus motuum duræ matris, & sinuum, sed quod maximum est detegit quosdam nervos in medullari cerebri substantia hactenùs invisos, aliaque raptìm in consultatione aperuit, quorum non ritè memor sum, memoriæ namquè

vim

vim longa delet dies; quæ omnia magnam lucem in obscuram hùc usquè doctrinam de convulsionibus, de convulsivis motibus, deque Apoplexia, & paralysi infusuram esse speramus. Itaque Hypocratis aphorismum hujus morbi causæ ritè adaptari inspiciens postremam videlicet partem. *Convulsio nempè fit vel à repletione, vel ab inanitione, ità verò & singultus*; Exulibus factis & sudoriferis, & purgantibus medicamentis ad usum aquæ Nucerinæ cum syrupo violato accessi, & insimùl ex hydreleo balneum præscripsi, præmisso solummodò oleo amigdalarum dulcium ad uncias tres unà cum Rhabarbaro ad dracmam semis, ad expiandas primas vias, necnon clysteres, nonnulli evacuantes injecti fuere, deindè clysmata ex infusione chinæ chinæ parata in aqua cerasorum nigrorum præscripsi ad sedandos spasmodicos dolores in abdomine sævientes, quod fidentèr egi, nam licèt clysteres materiali sua substantia
ul-

ultrà colon naturalitèr non aſcendant ob valvulam, nihilominùs tamèn vel nervorum extremitates titillant, vel demulcent, vel ſubtiliora, & ſpirituoſiora eorum effluvia intrà corpus altiùs penetrant, undè non tantùm ex vino pro clyſmate injecto ebrioſum delirium obſervavit Rhodius, ſed & à drachma una opii cum clyſmate injecta, coma obortum narrat Salmuth: Quod & abundè confirmat uſus clyſterum nutrientium, ut Rondeletius de medicamentis internis tit. Clyſteres ad nutriendum. Celſus lib. 3. cap. 19. habent. Plures dies in talibus præſidiis cum aliquali commodo immorata fuit, aliquotiès aſſumendo poſt cœnam conſervam violarum cum Laudani grano uno, ſic & à prandio ptiſſanas in aqua papaveris erratici paratas, in quorum præſidiorum uſu crurum, ac pedum aliqualem voluntarium motum fuit adepta, præcipuè dùm extabat in balneo, nam ſæpè ſæpiùs è balneo egreſſa extemplò rigebat corpus,

mo-

motibusque convulsivis iterum concutiebatur, interim hyemali adventante tempestate, hujusmodi minùs apta remediis ad usum lactis asinini confugi, quo ad 40. dies epoto unà cum liquore coffè meliusculè se habuit ægra; pertæsa tamèn remediorum, omnia ablegavit, seque solique inculpato victùs regimini se commisit. Interim per temporum intervalla convulsivis vexata motibus, sed mitioribus, ver appropinquavit, tùnc verò ejus medela novitèr reassumpta, quæ ut ex voto succederet dietam lacteam consului, supervacaneum prorsùs ducens Medicis, & Pharmacopeorum Medicaminum sylvis ampliùs uti, cum milliès fuerit experta, idquè non oscitantèr asserui, quid enim pulveris antiepileptici pugillus potis est. Quid dulcificantis tincturæ cyathus. Quid lactis asinini unciæ aliquot pro libris plùs viginti fluidorum dulcorandis valere possunt. Oportunum igitùr duxi pro affectionis hujus refractariæ eliminatione

ne totam fluidorum maſſam , ſi poſſibi-
le foret , innovare , quod , Chirurgiâ
infuſoriâ exceptâ , medicamentis ex ar-
te licèt exhibitis obtineri haùd poteſt ,
ſoli lacteæ dietæ hoc conceſſum venit ,
ſola inquam lactea aſſidua nutritio ſal
illud acre irritativum obtundet , enerva-
bit . Arduum ſanè apparuit conſilium
cibos omnes penitùs relinquere , ex mu-
lieris mamma lac ſugere , & ut ità di-
cam , veluti repueraſcere , & primæ-
vum repetere pabulum , ſalutis attamen
ſpe allecta lacteæ vitæ ſe commiſit .
Blandè igitur expurgato corpore ſanæ
ſe exhibuit nutrici qua priùs quoquè a-
liquantulùm expurgata , & euchimis
cibis ad aliquot dies enutrita , ſugere
Monialis incœpit ſemèl tantùm in die
per quinque dies de mane , conſuetâque
horâ prandii ferculum , & parumper vi-
tulinæ carnis & hora cœnę paritèr ali-
quid de more aſſumpſit . Abſtinuit po-
ſteà à prandio , cui lac ſubrogavit , &
ſic ſenſim prandium , & cœnam dere-
lin-

linquendo totalitèr lacte se nutrivit, se-
mèl tantùm in die coffè chiccaram po-
tando. Interim nutrix quotidiè jusculum
nervinis herbis alteratum accipiebat.


Tali victu ægra utens, post viginti dies
non parum convulsivi motus remise-
runt, qui tandèm prorsùs evanescentes,
gressum unum, & alterum Moniali per-
miserunt, donèc nervorum quoquè re-
siduis tractionibus superatis, gradarii
fulcimenti ope ad libitum liberè ambu-
lavit, & ab usu lactis pedetentim eodem
ritu, quo ipsius usum susceperat, re-
cessit.

Tertio jam confecto mense lacteæ
dietæ, quam ultrà libentèr prosecuta
fuisset, ni nutrix vidua iterùm viro con-
jungi voluisset, mirabar quarè jam à
convulsionibus libera gradariis fulci-
mentis uteretur, unde dorso, & lumbi
observatis, infirmaria Monialis casi
manibus comprimens ægræ lumbos
eorumque vertebras, potuit ægra tùn
sic compressa plures gressus facere ab
que

que ſubſtentaculis , qua re cognitâ, credidi ab indeſinentibus convulſivis motibus lumborum, maſculorum ſacrolumbi ſcilicèt , & quadrati fibras nerveas non parum detonatas , debilitataſque fuiſse , id quod abundè teſtabatur aliqualis extùs dehyſcentia unius lumbaris vertebræ , undè ad ferreum cingulum confugiens affabrè paratum quod eamdem preſſionem efficeret ac manus comprimentis infirmariæ, res ex voto ſucceſſit, fulcimenta namque projecit, ſoloque exili baculo ambulavit, & in præſens ambulat, benè ſe habet ad oblata, dormit, vividus in facie permanet color , omniaque munia & naturæ , & Monaſterii duobus jam ab annis exercet.

Planum igitur ex tota hiſtoriæ enarratione, ac veluti per corollarium deducendum putamus qua methodo tractandi ſint convulſi , quotieſcunque ii roſeo colore florent, vivido internorum ſenſuum, ac facultatum mini-

nisterio gaudent, salibusque scatent acribus, asperis, & diluente, dulcique Lympha destitutis, scilicet lenientibus, ac demulcentibus, non verò irritantibus, ut penès omnes erroneus mos est; irritantia siquidem, & stimulos inferentia, vipereo quovis dente fugienda sunt. Quod tamen dictum velim salvis semper casibus circumstantiis diversis stipatis, ut perbellè ex convulsionis, necnon motus convulsivi historia alterius Monialis discalceatæ Monasterii Sanctæ Theresiæ diversimodè curatæ videre erit, qua de occasione illam exponere libet.

§. II. *Mo-*

§. II.

Motuum convulſivorum in Aſthma convulſivum primo deſinentium & tandem in pectoris Hydropem. Hiſtoria ſubnectitur.

SOror Clara Maria Sacchi quadragintaquinque circitèr annorum ıabitus potiùs pinguis, & obæſi, palidi, & luridi coloris, flavos, & ſorlidos habens dentes, diminutè menſtruata, longo jam à tempore atrocious, & violentiſſimis convulſivis moibus fatigata, menſibus elapſis univerſalibus dictis convulſivis motibus leſinentibus, thoracis muſculorum ractionibus fuit aggreſſa, quæ occulum conſtituêrunt aſthma, undè difficultas reſpirandi per temporis intervalla recurrens preſto fuit, hæcque, aliquot elapſis hebdomadis, ab Aſthmate intermittente, ùt ità appellem,

in continuam, difficilem, ſublimemque reſpirationem degeneravit concurrentibus inſupèr febricula, pedum, & crurum ædematoſo tumore, decumbendi impoſſibilitate, indeſinenti tuſſi, urinæ imminutione, & omnibus aliis ſignis ab Hypocrate libro ſecundo de morbis capit. de pulmonis hydrope graphicè delineatis, interim pectoris remittentibus tractionibus, ut & univerſalibus motibus convulſivis.

Primus Monialis hujus morbus; convulſivus videlicet motus, utpotè ſalinæ cachexiæ, & ſanguinis ſpirituoſis particulis viduati filius, corpus enim cachecticum erat, & ex conſequenti ſalinis impuritatibus ſcatens, causâ auſteritatis conſtitutionum Monaſterii, necnon vitio ſtomachi, cujus certam exhibet fidem prætèr alia ſigna dentium ſordities, ut clariſſimu Valdeſch ait capit. de Morbis aulici §. vigeſimo ſcribit, dicens; *Dentes ni veo ſuo colore ſuperbientes perfectam chy lifica-*

ificationem comprobant, & è contrà ſi irca ipſorum radices mucus adhæret, caochimicum ſanguinis indicat ſtatum, ndè omnes ferè canes elegantiſſimos dentes habent, quià ipſorum fermentum eſt otentiſſimum, ipſaque digeſtio ità peragitur, ut ſuum cuique tribuatur.

Dixi vitio ſtomachi chylum ab inquinamentis ſalinis non repurgantis ob ſtomachi periſtalticum motum chylificationi adeò neceſſarium præpeditum à tunicarum fibris, & nervis contractis, qui cõvulſivus motus ſero caprillo rhabarbarato, ſtomathicis decoctionibus, aliiſque medicamentis ſale alchali volatili præditis, licèt pluriès tentatis pertinax rebelliſque tamen ſemper extitit, donec tandèm convulſificis ſuccis in thoracis muſculis depoſitis, aſthmate convulſivo, (quod Hypocrates libro ſecundo De morbis, cõvulſionem articulorum pulmonum jam vocitavit) producto, motus convulſivus univerſalis antiquus evanuit, quod paritèr aſthma,

ſpecificis, ut ajunt, licet exhibitis, oleo amigdalarum dulcium cum guttis aliquot ſpiritus ſalis armoniaci, puta, ſpermate cæti, nonnunquam hypnoticis diſſolvente aliquo maritatis, & aliis hujus generis, inſolens per duos menſes perſtitit, quo tempore à reiteratis tractionibus, pectoris lymphatici ductus vel rupturam paſſi, vel quod probabilius, præ conſtrictione, & preſſione ſufflaminata lymphæ circulatione per inſenſibiles ductuum poros lymphâ trajectâ, pectoris hydrops ſucceſſit propriis ſignis omnibus ſuperiùs allatis; ſtypatus, à qua ut ægram vindicarem peracta priùs lævi purgatione conſulentibus interim Excellentiſſimis Dominis Antonio Placentio, Paulo Manfredo, & Angelo Modio, Peritiſſimis in arte viris, innumera exhibui diuretica medicamenta ſpiritum nempè ſalis dulcificati, ſalis armoniaci in jure radicis altheæ, pulverem millepedum, lumbricorum, li-

xivia ligni juniperi, & geniſtæ, oleum
amigdalarum amararum, juſcula diu-
reticis alterata ſimplicibus, necnon
ligno ſaſſafras, thærebintum Cypri
cum pulvere glycyricæ in boli forma;
Veſſicantia Omoplatis applicita, qui-
bus omnibus ſempèr obſurduit morbus
reſpiratione interim in dies difficiliori
reddita, ut & pedum, crurumque
tumore exiſtente: ultimò præſcripſi
ſyrupum terebinthi viperatum, hicque
ſacra veluti anchora diuræſi promotâ,
reſpiratio minùs difficilis evaſit, &
per horam unam, & alteram noctu de-
cumbere potuit, omniaque alia phæ-
nomena mitiùs divexabant ægram,
donèc menſe uno elapſo pedetentim
omnia prorsùs evanuere, redeuntibus
tamèn paulò pòſt conſuetis moti-
bus convulſivis univerſalibus, qui-
bus & in præſens adhùc præmitur,
verùm per temporis longiora interval-
la, libera prorsùs à reſpirationis mo-
leſtia, quod acceptum refert ſyrupo

terebinthi viperato, & jure, præsidium enim certè si quod aliud præstantissimum est duobus conflatum balsamicis, cujus descriptionem, cum nullus, quem noverim, Author describat, libenter tradam.

℞. Tereb. ven. dissol. cum ovor vitell. unc. iij.

Carnis duar. Viper.

Digere in vini alb. lib. ij. in B. M. per vigintiquatuor horas, traice totum postea per chartam emporet. clarific. cum sacch. viol. ad julep. consistentiam.

§. III.

De convulsione in genere agitur, ac primò ejus idea cum suis differentiis expenditur.

VIllosam sanè telam pertexere aggredior filamentis omnibus rigidis, & inflexibilibus construendam, acri

acri lympha irrorandam, non erit obstupescendum idcircò, si quid in ipsa rude conspicientium oculis obveniet, si quid scabrum eam pertractantis acutissimum dexteræ sensum irritabit.

Convulsio itaquè ratione ethymi à convellendo derivatur, hoc enim in affectu musculorum principium, seù caput, atquè caudam, seù finem in unum ferè convelli videre est, ità in Emprostotono, ut Areteus ait, *homo musculis in anteriora ad principium retractis, non in arcum modò, verùm etiam in orbem trahitur*; sicque non ampliùs microcosmi, sed macrocosmi figuram repræsentat.

Describi solet quod sit musculorum contractio involuntaria constans, & dolorifica ab intimiore nervosarum partium musculorum eretysmo.

Dolorifica, ut Hypocrates in prorrhe Convulsio doloris plena est affectio; cum dolore scilicet tensivo, hicque in affectu initiante magis quam in confirmato,

mato, ut pluriès obſervavi, diutinæ etenim fibrillarum nervearum tenſiones ipſæmet ſibi ipſis ſpirituum denegant progreſſum, undè doloris diminutio, non autem abſentia, ut in comitiali morbo in quo ſenſus non ſunt integri, quibus adde quod datur convulſio paraplectica cum indolentia; ut ex oppoſito datur paraliſis dolorifica, in qua per intervalla ægri doloris ſenſum in reſolutis partibus experiuntur, quod acido liqueſcenti, & tunicas nervorum ſubindè imbuenti tribui poteſt.

Dixi contractionem muſculorum quò ad eorum videlicet fibras nerveas tendinoſas, & membranoſas, quippè quæ ſunt nervorum productiones, non autem quò ad omnes ipſorum partes, quotidiè namquè obſervamus carnem muſculoſam nùnc cæſim, nùnc punctìm lædi nullo accedente ſpaſmo, ſeù convulſione, è contrario à punctura nervorum; ex. gr. imperitæ ve-

næ ſectionis occaſione (cujus remedium eſt totius nervi ſectio, ſecti enim, & cæſi nervi æquè complicantur, laxantur, aut contorquentur eorum fibræ; undè non convelluntur, nec ipſi, nec ex conſequenti partes quibus adhærent, puncti verò ſpaſmodicè criſpantur, quià aliæ ab aliis fibris inæqualiter flectuntur, retrahunturque) ſed è diverticulo ad viam. In vulneribus partium nervoſarum frequentiſſimas oriri convulſiones; fibræ itaquè nerveæ primarium ſunt convulſionum ſubjectum hæ namque motus voluntarii proprium ſunt organon, quemadmodum etiam involuntarii, & ſpaſmodici, quapropter rectè Vanhelmontius ait muſculos geminos habere motus, unum quatenus ſunt clientes voluntatis, ut voluntarium ædant motum, alterum verò in quantum invita voluntate proprio feruntur motu.

Dividitur in univerſalem, & particularem, particularis eſt quandò una

tan-

tantùm pars convellitur, ut in strabismo, priapismo, risu Sardonico, quæ is quoquè addi potest spasmus ille, quem Itali Gransum dicunt, vulgò *granco*, plerumque tybiis contingens, hicque frequentèr invadens aliorum spasmodicorum affectuum solet esse prodromus, ùt non semèl in praxi observavi præcipuè in hypocondriacis his affectibus obnoxiis, juxtà Hypocratis Aphorismum. Melancholici fiunt Epileptici, & Epileptici Melancholici.

Universalis triplicitèr contingit in Anticam videlicet vergens partem quandò corpus unà cum cervice & capite anteriora versùs trahitur emprosthotonos à Græcis dicta convulsio; In posticam quandò corpus unà cum cervice, & capite posteriora versùs convellitur. Opisthotonos à græcis vocata, quę vel ut Aureliano placet, raptus posterganeus dici solet. Tonicè, positum corpus quando nec anteriora versùs, nec posteriora se movere potest, sed æqua-

æqualitèr in æquilibrio antè, & retrò antagoniſtæ muſculi ſeſe contrahunt, tuncque tetanos appellatur, quæ tamèn convulſio à multis negatur, ajunt enim impoſſibile eſſe, ut ex Anathome conſtat, binos muſculos antagoniſtas ſimul contrahi, cum unius relaxatio ſit occaſio contractionis alterius, ùt in oris tortura videre eſt; falsò tamen tetanos negatur, cujus tàm ſplendidum argumentum exhibet labiorum ſpaſmus cinicus, qui in antagoniſtarum muſculorum contemporanea contractione conſiſtit, tuncque tetanos, ſed particularis contingit præter univerſalem, prout pluriès in infirmis Archihoſpitalis S. Jacobi Incurabilium mihi obſervare licuit ortum à peregrinis celticis particulis bubonum reaſſumptis, maſſæque traditis nerveas fibras indè laceſſentibus.

§. IV.

Causæ convulsiouum enumerantur.

IN convulsionis causâ rimanda illud priùs adducam, quod à veteribus pro ejus morbi causa habitum est, repletionem scilicet, vel inanitionem Hypocratis aphorismo trigesimonono, sectione sexta innixus. *Convulsio fit vel ex repletione, vel ex inanitione, ità verò & singultus*, tùm ex aphorismo primo, sectione quinta. *Convulsio ex helleboro læthalis*, & aphorismo tertio, sectione eadem *à copiosa sanguinis fluxione convulsio, aut etiam singultus malum*. Recentiores attamen has convulsionis causas acritèr convellunt, Soli irritationi ipsam tribuentes, credo tamen, re maturiùs perpensâ, Hypocratem idem intellexisse, non autem à recentioribus intellectum fuisse, uno excepto Clarissimo Bellino, unde in inexpli-

plicabiles labyrinthos incurrunt, innumeriſque objectionibus à Sebitio juniore in ſua Exercitatione pathologica pagina trigeſima relatis, Hypocratem ſatis lævitèr aggrediuntur, ſatis lævitèr inquam, ipſe etenim divino erat ingenio, & pleraque per nebulam divinando, vidit quæ noſtrum ſeculum pro novis venditat, undè judicio Doctiſſimi Valleſii adeò pertractavit omnia exactè, ut vix quidpiam adjecerit tam longa poſteritas, cui nil aliud debemus pratèr obſcurarum, laconicarumque ejus dictionum amplificationem, claramque explicationem, quod quidem non lævis momenti exiſtit, inſigni namque rei medicæ commodo cædit, ut præter cæterorum authorum opera, diverſas Medicas pertractantia Materias Sennert. tomo primo, capite decimo. De generatione; Enriquez de Villa curta tomo primo, capite ſecundo, An ſemen vivat, M. Marci in tractatu de ideis operatricibus, inquit,
non

non minùs plantarum, quam animalium genus ex ovo nasci, cum non minus in plantarum semine sit distinguibile albumen à vitello. Rallius semina plantarum sui generis ova esse scribit, & celeberrimus Marcellus Malpichius de plantarum anathome testantur, ubi mirè, quod Hypocrates Veritatis Medicæ tribunal, libro De natura pueri concinnis verbis, verborum enim inops, sensibus autem prægnans, ac prædives Hypocrates esse voluit, ut in Hypocratis defensione egregiè asserit Bernardus Languedellio contrà quoscunque petulcos ejusdem obtrectatores, ac calumniatores, de semibibus tetigit, ipse mirè, ut dixi, & ad evidentiam inter viviparárorum ova & semina plantarum analogiam demonstrat, plantarumque semina ova esse probat, quę terrę commissa eorum progressivam vegetationem diætìm observat, ut in Phaseolorum seminibus agit, eo fermè modo quo Hypocrates
cita-

citato libro, fætùs in utero accretionem materni ſanguinis paulatino ad uterum deſcenſui tribuit, ajens, *ſingulis autem diebus à gratia procedit*. Ulteriùs id quod laudatus Malpighius in bombycis Anathome de ejus ventriculo differit, quod paritèr de ſeminalis plantulæ nutritione ſcribit, paritatem videlicet exhibens viarum nutritionis in utero fætùs non tantùm per umbilicum contingentis, ſed per os, derivato ſcilicet chylo in ventriculum, paritatem, inquam cum nutritionis viis in ſeminalibus plantulis ad propria eorum utricula nutritio ſucco delato, in quibus veluti excoquitur, hoc idem inquit Hypocrates ſcribens. *Quodlibet ſemen, quemlibet vermem, quodlibet membrum ſuum ventriculum habere*, & microcoſmum ideò appellari poſſe, ut ait Tacchenius in ſua Clave Medica Hypocratis paginâ nonâ Aphoriſmo itaquè trigeſimonono, ſectione ſexta, ait: *Convulſio fit vel*
C ex

ex inanitione, ità verò & singulus. Ex repletione videlicet acrium particularum, & silvestrium salium, non autem intrà nervos, paralysis enim presto tunc esset, sed in tota massa, ut videre est in Hypocondriacis, seù hystericis affectibus, qui nil aliud sunt quam convulsiones, & convulsivi motus, ut clarissimus Villis, & Sidhenam habent, vel in aliqua tantùm corporis parte puta mamma diro obsessa cancro, cujus in conglomeratis glandulis, juxtà earum fibras excitatur modò convulsio, modò convulsivi motus, qui aliquandò ad tantum sævitiei gradum pertingunt, ut universæ jugitèr communicentur & thoracis, & corporis diocæsi, idque ab energia aculeatorum hostilium salium replentium non ipsas fibras nerveas, sed totam mammæ glandulosam substantiam.

Vel ex inanitione fluidi morbosa salia diluentis, & temperantis, quod cla-

clarè affirmare, & explicare videtur Hypocrates in Aphoriſmo primo, ſectionis quintæ. *Convulſio ex helleboro læthalis*, quæ bifariam contingit, & ex privatione lymphæ, ut dixi, & ab irritationibus, quas cuſpidata hellebori ſalia, fibris nerveis conglobatarum glandularum quibus inteſtina abundant, infligunt. Similitèr interpretandus venit Aphoriſmus tertius ejuſdem ſectionis. *A copioſa ſanguinis fluxione convulſio aut ſingultus malum*; per copioſam enim hæmorrhagiam, dulciori maſſæ parte educta, exaltationi locus facilè datur, ejuſdem acribus maſſæ ſalibus, quæ tùnc fibras nerveas ſcindere aptiora reddita, convulſionem gignunt, ut à ſanguinis miſſione inhibita in legitima tertiana, & cauſone deduci poteſt propter validas rationes jam ab Auctoribus omnibus allatas, & comprobatas; libera, & ſui juris nempè magis fit bilis, ſeù reſiduus ſanguis nitro ſulphureus, qui

(ignearum particularum more) furiosè exilit, & discurrit, undè increscit cardiaci nervi titillatio convulsivo analoga motui, ut flamigeratissimo placet Borello, & deindè fermentatio febrilis.

Ex spuria itaque Divini senis mentis interpretatione, & commento ortum duxit solemnis Authorum dissentio quò ad convulsionis causam; liceat itaquè dicere secundum Hypocratem convulsio (excepta tantum illa quæ ab irritante externo procedit, prout à punctura, & læsione nervi, à morsu canis rabidi à veneno, à peste, in infantibus à lumbricis sensiles ventriculi intestinorumque fibras mordicantibus ab inordinatis passionibus animi furibundum spirituum motum excitantibus liquidumque animale, si quod datur dissolventibus. Convulsio inquam fit vel à repletione, ut causa positiva salinas cruditates coacervante, vel a inanitione ut causa privativa blanda

assu-

assumente limpham; per inanitionem enim, ut ex jejunio, succorum acrimonia maximè viget, ut Prosper Martianus in Aphorismo decimotertio, sectione sexta, commento asserit, cujus fiendi modũ jam superiùs abundè exposui. A repletione iterùm inquio animalium spiriruum tanto cum impetu, ac robore in fibras nerveas insilientium, easque insufflantium, ut attractio musculi in nixu motivo vim vectis excedat, undè sic infarctæ, & insufflatæ nerveæ fibræ æquilibrii legem amittentes extenduntur in latus, & fiunt breviores, hinc necessariò sequitur contractio, ut Nathanael Higmorus in sua Exercitatione de passione hysterica scribit; vel ab inanitione sanguiferorum vasorum ab hemorrhagia inducta, vel lymphæductuum ab hypercatarsi exorta, undè talium fluidorum contranitente corpore dempto contrahuntur musculorum fibræ, quę ob vim propriæ texturæ contractilem

corrugari semper nituntur.

Hæc veterũ repletio, & inanitio Car-
tesio non displicet, & jure, prætèr enim
quod verior extat opinio, ablegantur in-
supèr speciosæ recentiorum quorumdã
denominationes, & termini ideales sa-
nè omnes, ut sunt motus explosivi spi-
rituum, lympha clastica, spirituun
aura, motus expansivi, archeum, ve
Blas musculorum indignatum, Mole
culæ rapidè se moventes; Particula
hamatæ nervosis fibris infixæ, & alia
potiùs enigmata, quam solida, & ve
racia verba; Veritas enim æquè ac gra
tia nuditatem amant.

His ità præhabitis, de spasmodic
affectus causa interna, & proxima
differenda nonnulla veniunt; han
multotiès ipsi cerebro, ejusque duræ
& piæ matri, quandoquè nervorun
caudicibus, vel extremitatibus inside
re reor. Cerebrum primariò affici te
stantur vertigines, cephaleæ, & ali
capitis phænomena, sic & in caudici
bus

bus, vel extremitatibus enasci docemur plurimorum exemplis eorum, qui antè convulsivum paroxismum quandam veluti auram vel ab imo ventre, vel à pedibus ascendentem persentire se dicunt, id confirmat Villis tomo primo, capite de convulsione, dicens: *Nam siquidem nerui ab vtroque fine, radice scilicet, & extremis ramentis humorem suum imaibunt (quod Glissonius verisimillimum esse statuit) profectò hinc quoquè inferre licebit etiam particulas spasmodicas non tantùm à nervorum principiis, sed aliquatenùs per illorum extremitates intùs admitti, quod fortassis apertè satis constat, quod ex liene malè affecto spasmi circà ipsius regionem exorti hypocondria infestant.*

Reliquum est ut diversas remotiores externas causas, & multifariam morbi hujus mineram distinctiùs delineem. Convulsiva itaquè affectio sæpè sæpiùs radicatur in capite, ibiquè dupliciter,

vel quià præ cerebri aliquali athonia propria alimonia nutritioni ejus haud cædit, undè pro morboso, & convulsivo fermento inseruit, vel à sanguine in cerebrum, aut ejus medullarem appendicem quidquid in ipso morbosi inest, repletionemque efficit deponitur, quæ morbifica materies siquidem per excretoria vasa amandari nequit mox in nervosum sistema dimittitur ibiquè convulsionem parit, quæ toties diversæ speciei, & differentiæ erit, quoties ad diversos plexus, vel propagines nervorum transfertur. Dixi quod quidquid morbosi sanguini inest ad cerebrum amandatur vel in ipso derelinquitur inest videlicet vel per totam ejus massæ depravationem, ut in febri maligna, in elephantiasi, in scorbuto, vel in alia ejus corruptione: aut pura, & insons massa aliundè impuritates assumit, easque deindè cerebro vel nerveis fibris tradit, ut in viscerum particularibus vitiis, puta uteri, vel te-

stium

stium virulenta labe infectorum suntque convulsionum particulares foci.

Remotiores externæ causæ sunt hæ omnes, quas sex rerum non naturalium abusus facilè suggerit, quarum agmen ducit aer, quo sinè nè momentum vivere possumus, hic itaquè si frigidus, ac hybernus, si hostilibus, & aculeatis fodinarum particulis sit imbutus cane pejus, & angue vitandus. Cibi pariter muriaticis salibus saturi, iique copiosè ingesti, non autem digesti impurum conflant chylum, unde iisdem inquinamentis ad repletionem coinquinatus sanguis ad quasvis circulationis lege hìc impellitur partes totidem, vel tonicè contrahit, vel clonicè prò ut vel ambos antagonistas musculos insimùl invaserit, vel alterum tantùm istorum; Tonicè eo sensu quo *Duretus dixit convulsionem in quiete consistere*, clonicè eo similiter sensu, quo idem scripsit *motum convulsivum in motu residere* sic & potus vi-

vini meraci impuro ſulphure turgidi, ſomnus, & vigilia modum excedens, ille nervoſum debilitando ſiſtema, hæc ſpiritus diſſipando, & ſerum abſumendo, atque aſperiores reddendo ſuccos ob deperditam dulciorem ſanguinis partem, ſpiritum nempe, ut Hypocrates ſectione ſeptima Aphoriſ. decimoctavo ait. *A vigiliis convulſio, aut deſipientia malum*; motus, & quies eadem præſtando incommoda, vænus immodica, ſic & deficiens; immodica ſpiritus animales irrequietando in incongruos motus ipſos ſollicitat, undè rectè coitus parva Epileſſia appellatur, butiroſam pariter veluti ſanguinis partem auferendo; deficiens, ut Virginibus contingit, quibus Hypocrates libro de Morbis Virginum conſuluit hyſterico affectu detentis ſi medicamentis non juvantur jungantur viro; deficiens dixi, venus ſanguinem fermentatione, ſaliumque ſecretione defraudando. Animi item pathemata eaſdem lu-

ludunt tragedias ſiccitatem, & inanitionem inducendo, ſpiritus enim triſtis exſiccat oſſa.

§. V.

Signa tum diagnoſtica, tum prognoſtica convulſionum afferuntur.

A Curatiori diagnoſi convulſivi motus, ſeù convulſionis non parùm confert huic antecedentia conſiderare, quæ de ipſius acceſſu præmonent, ut ſunt capitis dolores, vigiliæ, vigilias namque, ut ſuperiùs aſſerui, Hypocrates inter convulſionis cauſas præſupponens ait. *A vigiliis convulſio, aut deſipientia malum*: ſomnus interruptus, cordis palpiratio, frequentes oſcitationes, in morboſo tamen corpore contingentes, aliàs nimia oſcitatio citrà morbos, pigritiæ potiùs ſignum extat, undè puniebatur olim ſi quis in Senatn clarè nimium, & Sono-

rè

rè oscitaret, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, sic & pavores nocturni, aurium tinnitus, oculorum splendores rutilantes, quos ipsimet ægri antè oculos sibi obversari dicunt, ut apud Hypocratem in suis coacis pagina millesima noningentesima quarta, text. trigesimonono propè finem legere est, ubi oculorum cum aere paritas adfertur. Quemadmodùm enim ubi aeris sulphureæ particulæ sublimes exaltantur, ignes, fulgura, aliaque id genus presto sunt, ità in oculis ubi corpus concepto igne inardescit, sulphurque à febrili cruoris fermentativo motu sursum concitatur, tunc fulgura quædam, & splendores evibrantur, qui ægris ipsis ob oculos cursitare videntur, vel qui adstant etiam fulgentes, & quasi micantes igne oculos conspiciunt, cui ni aliqua sequatur Emorrhagia, ut Hypocrates scripsit de oculis nictantibus ante Emorrhagiam in coacis pagina centesima

ma vigeſimaſeptima, text. ſecundo *Veſania, aut convulſio expectanda eſt*, ut fermè pluries unà cum meo Genitore inter alios obſervavi in Illuſtriſſimo Jacobo Emerix Sacræ Rotæ Romanæ Decano Meritiſſimo, qui quoties convulſivum acceſſum perpatiebatur, totiès pariter antè ipſius oculos ſplendores hujuſmodi & obſervabantur, undè ſæpè ſæpiùs clauſis oculis opem implorabat ajens; en motus convulſivi, qui tandem cuncta deludentes medica præſidia, cerebri ſanguiflua vaſa evellentes læthalem intulerunt apoplexiam.

Præſentis autem convulſionis, motuſque convulſivi diagnoſis non multis indiciis indigere videtur, quandoquidem præter voluntatem contractio admirando non minùs quam vario ſpaſmorum ſcheſmate ſemet ipſam prodere aſſolet, facili negotio enim à motu clonico, hoc eſt convulſivo interpolato palpitationi ſimili diſcernitur,

tur, ut & à paralysi, æquali namque corporis, vel totius, vel alicujus partis manifestatur rigiditate, dum musculi tã extendentes quã flectentes eodem tempore convelluntur, & fit ut neuter alteri cædat, undè neutra pars vincit, sed totum corpus, vel una ipsius pars immobilis extat. Præterea in vera convulsione sensus reliqui integri manent, in convulsivis verò motibus plerumquè simùl læduntur. Convulsivus motus tremorem quandoquè refert, verùm facilè ab eo internosci potest; in tremore enim concurrit semper voluntarius motus, convulsivus verò planè præter voluntatem accidit, & tremor solùm fit in una situs differentia, cum convulsivus motus varius esse queat.

Quò ad convulsionis prognosim, omnis quidem periculo est plena, *non enim potest naturæ major vis inferri, quam convulsione*, ut Duretus in coac. scribit, variat tamen prò ut gradus ip-

ipſius differunt, nam modò in acuto-
rum numero, & quidem primi gradus
curſum peragit intrà quatriduum inte-
rimens, ut tetanus juxtà Hipocratis
Aphoriſmum ſextum ſectionis quintæ.
*Quicūque tetano corripiuntur in quatuor
diebus pereunt, ſi hos effugiunt ſani fiunt.*
Modò acutorum ex decidentia ad
menſem integrum, & ultra. Modò
ad cronicos ob diverſorum ſalium con-
tumaciam referri poteſt, quorum ge-
mina tradidi exempla; variat ſimiliter
prò ut continua, & ſubjecta, & cau-
æ ſe habent, item prò ut univerſalis,
vel particularis, eſſentialis, vel ſym-
phatica eſt nobiles invehit in partes,
vel ignobiles cerebrum puta pectus,
vel diaphragma, aſthma inducendo
convulſivum ab Hypocrate pulmonis
articulorum convulſio appellatum li-
bro ſecundo de Morbis pagina ſexa-
geſimanona, numero quincenteſimo
vigeſimo, & à Vanhelmontio, ca-
duca pulmònum, ſive aſthma occul-
tum,

tum , & ſiccum . A Lindano verò grampum diaphragmatis.

Simpatica dignoſcitur ab aliarum partium læſione vel præcedente , vel conjuncta , ſic Hipocondria præſertim offenſa eſſe , ut & ventriculum oſtendunt crebri ructus acidi, eorumque dolores, nec non convulſivi motus al leviatio ex alvina contingens evacuatione , idem de utero ſentiendum eſt quæ & alia ſi deſint ſinthomata , eſ ſentialem morbum eſſe indubiè credendum.

Synptomata quoque varii generi concurrunt, oſcitatio nempe obſerva tur, frequens, intentatur ſuffocatio tumet facies, pulſus concitatur, i pueris umbelici retractio interiora ve sùs inſpiciuntur , abdominis tenſion tympanitidem repreſentantes, quæ aliquibus Medicis flatuum effectus c diti aromaticis , & diſcutientibus , i fauſto ægrorum ſucceſſu , utuntu ut utuntur, tentioneſque namque n mi-

minuunt, ſed augent, quas fęlicitèr amouerent, ſi laxantia ducerent in uſum, inter quæ oleum amigdalarum dulcium, nec non hypnotica; neruinis maritata, primatum obtinent.

§. VI.

Curatio convulſionis diſponitur.

CUratio convulſivi motus, & convulſionis methodicè abſoluitur indicationibus ſatisfaciendo ex morbi cauſa enaſcentibus, prò ùt ſcilicèt privativa inanitio, vel poſitiva repletio fuerit; Ubi igitur poſitiva adfuerit cauſa, hoc eſt repletio, conuenit ſanguinis miſſio, & deindè purgatio: ſanguinis miſſio priùs, potiſſimùm ob rationem, quià jucundiùs, ac tutiùs purgans medicamentum ſuas exerit vires, vaſis phlebotomià aliquantulùm inanitis, datur namque ſolutivæ fermentationi locus, quin ruptionis ſubeant periculum vaſa ſanguife-

ra, quod secùs euenit in sanguinis redundantia, convulsivis præsertim concurrentibus tensionibus; sanguis itaquè educatur vel plethorico existente corpore secundum plethoram antiquorum, vel plethorico, plethora secundum quid, hoc est ex consuetudine, ut ait Ethmuller. tomo primo capite de inflammatione, pagina ducentesima septuagesima, sanguinis annuæ missionis intermissæ vel sanguinis menstrui remorati si mulier ægra fuerit, & fiet gratia curationis, & præservationis ab apoplexia in quam sępè degenerare convulsionem observavi; turgidi namque sanguiferi canales à diramationibus convulsorum nervorum, qui eos circumligant, & tensi, & ferè jugulati, de facili ruption[i] sunt obnoxii, undè apoplexia presto est, dummodò in cerebri vasis ho[c] contigerit, vel peripneumonia, [si] in pulmone, & sic de reliquis corporis partibus; Tùm curationis gratia

ut

ut dixi, depletis enim vasis, quidquid morbosi continent, vel medicaminum ope, vel naturalitèr fermentativo concitato motu expellunt per diaphoresin, vel per peryherream, vel per alias congruiores vias naturæ mirificè notas. Utilitèr quoquè hirudines hemorroidalibus venis applicantur; sic & cucurbitulæ siccæ, & humidæ congruè adhibentur, modò lateralitèr dorsi spinæ ut in universali motu convulsivo, modò brachiis, modò ultimis vertebris lateraliter hinc indè pedibus affectis; In tetano, aliisque colli convulsionibus secari venam, quæ in prima dorsi vertebra conspicitur jubet Rondeletius libr. primo Meth. cap. trigesimoseptimo; Nequè negligendæ sunt frictiones, vessicantia, ligaturæ, vessicantia enim prætèr lympham acrem quam educunt, furibundos spiritus à convulsa distrahunt parte, ac ad se aduocant. Arteriotomia quoquè temporum fælici-

tèr contingere aſſolet, ubi eſſentialis convulſio fuerit, ſic & venæ frontis inciſio; His purgationi locus accedit, ut maſſæ impuritates ſubducantur peragendæ ex pillulis de ſuccino Cratonis, vel puluere Cornacchini, & his ſimilibus, quæis irritis contingentibus, quandòque exhibenda ad radicem morbi averrùncandam emetica ex tartaro emetico, aqua. Rulandi, oximellite emetico, hæcque danda viribus conſentientibus, nec aliis contraindicantibus, & præcipuè in affectu, qui iamdiù durauerit, nec non in ſympatica præſertim ex conſenſu ventriculi; Si ab utero ortum trahat remediis eumdem repurgantibus utendum.

Mox è vaſto antiſpaſmodicorum campo ſeligenda præſidia, & erunt eſſentia Caſtorei, tinctura florum hypericon, ſpiritus cornu Cervi ſuccinatus, oleum ſuccini, ſpiritus lilii convallii cum aqua theriacali canphorata

ita , aqua hyrundinum composita,
qua cerasorum nigrorum , peoniæ,
uluis degutteta , cinabrium natiuum
ortices exsiccati arboris mali punici,
China chinę in simpatica præcipuè an-
è , vel in ipso met paroxismo, ut in fe-
ribus uti solemus, de qua pluriès fæli-
itèr periculum feci, præter Ethmulle-
i assertum tomo primo , dissertatione
luodecima §. Sexto ubi refert in An-
lia ad epilepsiæ curam auspicatò ad-
iberi non secus ac ad hypocondriaca ,
 hysterica pathemata : item in palli-
lis virginum coloribus , & mensium
uppressionibus à quibusdam in Gallia
er experiẽtiam confirmatis commen-
ari ipsam chinam , & meritò qui-
em , sicùt enim incantamenti ad in-
tar febriles rigores sistit quartanæ ,
ræsertim , qui nil aliud sunt quam
onvulsivi motus in nervorum plexi-
us mesenterii excitati , & membranæ
arnosæ communicati , ità pariter ipsi
net convulsioni , & motui convulsivo

jure oportunum credendum remedium, utrique enim rigores quartanæ ſcilicet, & motus convulſivi ab uno, eodemque acidoacri ſucco oriri videntur, qua de re aſſerit Hypocrates Aphoriſmo ſeptuageſimo ſectione quinta, *Qui quartana corripiuntur non admodùm convulſionibus tentantur, ſi verò priùs tentati fuerint ſuperueniente quartana liberantur*; & ratio eſt quia ſuccus ille acidoacris ſivè per concuſſivum rigoris motum diſſolvitur, ſivè ſudore aliave evacuatione egeritur febrili coadiuvante motu, undè nequit nervorum fibras laceſſire, & convulſiones excitare; Quod autem diſſolutio acidoacris ſucci per concuſſivum rigoris motum contingat apertè teſtatur Enriquez de Villacorta, qui habet quod humor efficiens rigorem in febrium paroxiſmis reſoluatur, & expellatur, idque deducit primò ex carentia doloris, alicujuſque mutationis, ſeù effloreſcentiæ in ambitu corporis

poris post dictum rigorem, quorum aliquid de necesse eveniret, si rigoris causa in ipso corporis ambitu firmaretur, & non resolueretur.

Nequè valet dicere quod reassumatur; videmus enim quod quò longior est rigor, eò breuior, mitiorque succedit febris, indicium evidens resolutionis, expulsionisque succi rigorem efficientis, non autem reassumptionis; Addit etiam citatus Auctor quod rigoribus succedunt intermittentes febres, non autem continuæ, quod adscribit materiei diminutioni per rigorem peractę. Id tamen potiùs à particulari fermento Sulphureosalinæ indolis procedit, nec non à diuersa ipsius fermenti sede: Prædictam acris succi dissolutionem per rigorem contingentem innuere videtur etiam Hypocrates in sectione quarta, Aphor. 58. ubi ait. *Qui ardente febre correptus est, si superueniat rigor à morbo liberatur*; Hicque aphorismus adeò claris verbis proprium, ac verum sen-

ſum exponit, ut ſuſpectum habeam auctorum cõmentum, in quo ajunt, quo Hypocrates in hoc aphoriſmo utatur antecedente pro conſequente, ideſt quod intelligat ſudorem, qui rigori ſuccedere ſolet, ut alibi dixit. *Qui rigent ii exſudare ſolent*.

His omnibus laudatis præſidiis minimè poſthabendus venit opii uſus, opium namque hoc in morbo ſacra extat anchora, infrænat enim ſpirituum impetum, & ſegniores quaſi ipſos reddit, undè ſenſilium fibrillarum tono flacceſcente haud æquè validè ab objecto licèt intenſiori vibrari poterunt hinc nec ſpirituum repercuſſio tanta contingit ut communi communicentur ſenſorio; Maritetur attamen opium ſivè cum volatilibus, ſivè cum fixis ſalibus, nè juxtà illud quem obdormire volumus, poſtmodum expergefacere nequeamus.

Ab internis ad externa auxilia rectus Medicinæ ordo Medicum revocat,

cat, hæc autem illa erunt; Olea, & linimenta ex cephalicis, & neruinis, balsamis, & spiritibus emollientibus admixtis, ut adeps humanus, Vulpinus, Catellorum, sic ex lumbricis therebintho, castoreo &c. balnea paritèr tepida ex aqua dulci, & oleo parata non parum proderunt, ejusdem aquæ frigidæ profusio commendatur ab Hypocrate in Tetano, aphorismo namque vigesimoprimo sectione quinta ait. *Est tamèn ubi tetano sine ulcere juveni benè carnoso æstate media frigidæ larga perfusio calorem revocat, calor vero hæc sanat.* Idem repetit tertio de Morbis. Legitur in allegato Aphorismo. *Sine ulcere*, nam ulceratis frigus non convenit, frigus enim mordax, præcipuè vbi adsunt detectæ, & denudatæ fibræ, quà de re laudatus Hypocrates in Coacis pagin. quingentesima quinquagesima quinta, text. quadragesimo tertio ait. *Frigus esse convulsificum*; Huius aquæ perfusionem Galenus aliis quoquè accomodat

dat convulsionibus; Vallescus de Taranta feliciter duos tetano laborantes aquæ perfusione hac ratione curauit. Ægrum à quatuor hominibus erectum teneri jussit, & vigintiquatuor urceos frigidæ aquæ ex collo ad inferiora descendentes perfudit, & statim eum collocauit antè ignem, & post sesquihoram inunxit totum corpus unguento de althea, ac oleo Castorei, ipsique jusculum pulli propinauit, ità uterque æger tali modo convaluit.

§. VII.

Febris excitatio in quacunque convulsione reprobatur.

ALiquibus placet ad convulsivum motum, & convulsionem curandam febrem excitare, hoc tamen remedii genus nunquam tentauerim, nihil temerè quippè agendum, ut Hypocrates sexta Epid. sectione secunda, gemina enim indè oritur difficultas, pri-

prima An febris conferat; Altera. Quot febris gradus requirantur. Primò dico quod febris utiquè remedio est in affectibus à lentescentium succorum copia pendentibus, secùs autem morbis ab exaltatione salinarum partium ortum ducentibus, qualis est motus convulsivus, & convulsio, & ulteriùs licet febris intrà modicum tempus finiens, ut ait Villis libro de Febribus pag. octuagesima octava Medicina potiùs quam Morbus vulgò dicatur tamē hoc non est absolutè verum, quoniam hac ratione sanguinis impuritates deflagrant, viscerum infarctus expediuntur, & re vera totum corpus ventilatur ità ut materia quælibet excrementitia è nascentium morborum seminario prorsus liberetur; Sin verò diù protrahitur hic morbus plurium ægritudinum, & diuturnæ invaletudininis causa existit; Secundò febris non lenta, sed ferè ardens requiritur ad hoc ut ab ipsa veluti ab igne (ignem enim

enim febrem aduocat. Hypocrates) solutis salibus insimùl, & totaliter diaphoresi, vel diuresi excitata sanguinis massam ab ipsis februet, aliter quod contigit, Numenii filio observare esset, illi enim appoplexia detento febris debilis superuenit, undè obiit. Hypocrates in Epidemiis.

Nequè iis qui in opposita sententia sunt favet Aphorismus vigesimussextus Hypocratis in sectione secunda nempe. *Satiùs est febrem convulsioni supervenire quam convulsionem febri*, quià in aphorismo non intelligit Hypocrates febrem utilem, & necessariam esse ad convulsionem curandam, ideò non dicit bonum simplicitèr esse sed melius, satius, hoc est, comparatiuè, & respèctiuè ad convulsionem febri supervenientem, hocque ut malum signum designans causam febrilem tantæ prauitatis, ut nè dùm febrem concitando naturam exagitet, sed & cerebrum, & nervos divexando convulsionem inferat.

rat. In ea itaquè opinione ſum medicamenta quidem diſſolventia fermentativa atquè diaphoreſin moventia poſſe deberique exhiberi, minimè verò ad febrilem uſquè fermentationem, quod dictum volo tantùm de convulne à repletione; Imò mitiùs in hac quoquè agendum, nè exareſcentibus corporis ſuccis, hinc ſalibus exaltatis convulſio, quæ ab inanitione oritur, ſuperveniat, hæcque difficilioris extat curationis, talique pacto tutò medebimur, alitèr audacter neſcimus namquè ſalubritèr, ut natura ſolet operari, ignorata præcipuè, aut ſaltèm non prorsùs nota, ars enim infinita, vita finita, agendi opportunitate febris extenſione, quantitate, & qualitate Medicaminis, atquè via per quam utiliter educendum, ſola enim natura eſt arcanorum ſuorum fidiſſima interpres, nos autem illius licèt imitatores ſimus, non idcircò omnia tentare ſemper poſſumus, quæ natura bonis ægri rebus

age-

agere conſuevit, ut videre ſępiſſimè nobis eſt, quod non ſemper exhibito purgante medicamento ſuccedit, purgatio per alvum, qualis, & quanta à naturâ promotâ eveniret, Idem de ſanguinis miſſione ſentiendum, ubi deſumimus imitationem ab Hemorrhagia ſanguinis à natura ſpontè excitata.

§. VIII.

Ethiologia, & curatio convulſivorum affectuum ab Inanitione pendentium adiungitur.

AB inanitione igitur non ſolùm non rarò quin imò ſæpiùs convulſiva affectio natales ſuos recognoſcit, illaque non particularis, & proxima in nervis credenda, ſed ſanguifluis, & aquoſis in vaſis univerſi corporis, ut ſuperiùs jam dixi, & hoc de neceſſe ſuadet Hypocratis doctrina poſita inanitione, & evacuatione univerſali

versali, quam, ut scripsi, patefecit in Aphorismis dicens. *A copioso sanguinis fluxu singultus, aut convulsio mala*, quod satis sanguinis evacuationem, seù inanitionem indicat, quam pariter comprobat, dùm ait. *A medicamento epoto convulsio mortifera*, & hæc ortum trahit ab exoticorum salium efferatione, & exaltatione à demptis per hipercatarsin vinculis illa coercentibus, & inconspicua servantibus pronascente, cui, quod Hypocrates scripsit, adaptatur. *Quod omnis morbus ulcus est*, ulcus videlicet, hoc est separatio continui, & cum continuitatis remotio scabritiem includat, en quod fluidis, pro salium vinculo positis, à purgatione, vel à febrili igne absumptis sanguinis continuitas, jam enim ratum est, quod ex particulis accommodatè positis totum sanguinis corpus construatur, sanguinis continuitas dixi delabescit, hinc enunciata scabrities, ab inanitione primò exorta emergens

gens nil aliud efficiet, nisi nervosas f
bras scindere, pungere, divellere
convulsionemque parere. Altero mo
do contingere potest convulsio ab in
nitione pariter pronata, absque e
quod tanta fluidorum inanitio præ
cedat, ut acutis salibus exaltationis
ut dixi, occasio præbeatur, in quan
tum scilicet per evacuationem ce
tum est, quod non æqualis, ne
contemporanea fit fluidorum evacua
tio, intelligo quod non omnes corpo
ris canales quisquis eorum pro sua
rata ab arte, vel à naturâ symptoma
ticè movente contentorum pondere a
levientur, sed nullo ordine servato
& promiscuè prout eorum fibræ mag
minùsque sensiles sunt, undè majorem
minoremve medicamenti salis volat
lis, à quo purgatio peragitur, irrita
tionem persentiunt, ex qua inæqua
vasorum inanitione inæquali insurgen
te viscerum, arctuumque pondere
corporis veluti lancis æquilibrium ruit
à quo

à quo cū microcoſmi machinæ firmitas pendeat, nil mirum ſi antagoniſtæ muſculi unus,vel plures eorũ æquali,& ordinata contranitentia orbentur,& irregularibus motibus corpus agitent, & concutiant, donèc præ reiterata fluidorum circulatione ſuo unicuique muſculorum ponderis jure reſtituto, naturale architectonicum munus antagoniſtæ exerceant muſculi debitumque inter ſolidum, & fluidum ęquilibrium emergat, quod ideò quandoquè contumax eſt ob multùm vitiatam, & confuſam ſuccorum particularem ſtructuram difficilè reaptandam.

Æquilibrii expoſita doctrina ſatis diluet objectiones contrà inanitionem ab aliquibus adductas, quod in hectica videlicet, in qua ſumma eſt ſiccitas, in eà tamen convulſio non excitetur cujus ratio eſt, quià hectici corporis extenuatio æqualis, & contemporanea eſt, undè viſcerum, arctuumque mole ęquilibrium ſervante, corporis lanx fir-

mo, æqualique ſtat pede. Quod ſi alio modo ſiccitatis objectionem ſanare vellem, dicerem, ſiccitatem quidèm in hectica dari, verùm ſucci nutritii, non autèm excrementitii, qui ſanè ſalia, nè vellicent inhibere ſat eſt, cui addendum, quod ipſa hecticæ medela analepticis, & incraſſantibus medicamentis gelatinoſis conſtantibus particulis expleta, illud itidèm obviat.

Præfati æquilibrii exiſtentia, ejuſque poſitiva neceſſitas quanta ſit in corporibus, non ſolùm ſanis, verùm etiam morboſis nunquàm ſatis comprobatur, ac in hydropicis ex aſcite, quorum abdomen ſi fortè violento corporis motu, vel Medici manu contractetur, inęqualitèr viſceribus in aqua innatantibus motis abdominis dolores, ſpaſmique illicò inſurgunt, reſpirandique difficultas augetur ob inæquales viſcerum & tractiones, & preſſiones, diaphragmatis æquilibratum motum interrumpentes; Id magis, atquè ma-

gis

gis in Paracentesi contingit, si aqua videlicet confertìm, & non per vices extrahatur, tùnc enim viscerum in aqua fluitantium extemplò equilibrium tollitur. Ammisso enim tali æquilibrio in motum aguntur contenta in extremis vasculis, ac viscerum folliculis, & hærentia exotica fermenta variè agitantur, donèc non lævi eorum parte reassumpta, eam cum rigore febrim excitant, quæ omnium phenomenum, & mortis radix est, hæc enim est, quæ ob fermentationem in fluidis concitatam, puncturas, vellicationes, hinc extricatorum, impulsorumque salium stagnationem invehit, respirandi difficultatem inducit, tandemque eò symptomatum gravitas deducitur, ut mors sequatur, quæ non aquarum, ùt jam præmonui, subitæ, & universæ extractioni concedenda, sed exoticorum, ut asserui, salium commotioni, eorumque reassumptioni ex æquilibrii jactura prosilienti.

Quò collimare credendum, rejecta

ſpirituum diſſolutione, Hypocratem taciti æquilibrii non inſcium, dùm in Aphoriſmo vigeſimo ſeptimo ſectione ſexta ſcribit. *Quicumque Empiici, aut hydropici uruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim effluxerint omnino moriuntur*. Rejecta dixi, ſpirituum diſſolutione, abſonum etenim eſt in extravaſata aqua ſpiritus ſupponere, quos inſuper corpori robur addere exiſtimare, eſſet enim idem ac credere urinam in veſſica detentam corporis robori tribuere, ipsàque emiſsà corpus debilitari, quamvis non me lateat quod excrementa quoquè aliquid boni corpori conferant, id quod inteſtini colon ſtructura ſuggerit, hoc enim multiplicibus veluti cellulis extructum eſt, quod non ſolùm ad fecum moram, nè aſſiduæ homo evacuationi ſit obnoxius factum eſt, ſed inſimùl ad quoddam chyloſi auxilium ſuppeditandum mediante ſulphurearum fæcum partium exaltatione, ventriculi,

i, cujus fundo, Omento mediante ſub
ıectitur, calorem foventium non ſecùs
ac chimici qui plura digeſtionum opera
digerendas materias in fimo ſepeliendo
ad plures dies explent. Nec inficit vi-
rium languor, quem diabetes infert,
non leve enim diſcrimen hydropicorum
inter effetum ſerum in abdomine ſta-
gnans, ac diabeticorum urinam ſucco
corporis nutritio imbutam intercedit,
horum etenim ſeri acrimonia, & aſperi-
tas abradit, reſolvit, & colliquat nutri-
mentum corporis chyloſum, & ex eo
pronata pinguia, quæ in formam
aquoſi fatiſcunt laticis, & indè ſub
copioſæ urinæ forma excernitur.

Hujuſmodi convulſivi affectus ab
inanitione pendentis ſigna ſunt quod
cauſæ illam inducere valentes præceſſe-
rint, ut febris vel acuta, vel lenta, &
diuturna, hæc etenim quia acutæ,
quoad effectùm, par eſt, idem tandèm
tractu temporis efficit, dulcem videli-
cèt abſumendo limpham, ſic & ſangui-

nis fluxus, Diabetes, vel Diarrhea &c
Item quod biliosi sit æger temperamenti, & quod æstate afficiatur.

Quid de hac sentiendum, certè non nisi infelicius omen pronunciari potest ac de convulsione à repletione, eoque magis si illi febris accesserit, quo casu difficilioris extat solutionis, uti è contrariò evenit, si febris convulsioni à repletione supervenerit, ut Hypocrates in coacis capit. decimoquarto text. duodecimo, & quarto Aphor. quinquagesimoseptimo.

Convulsio, & convulsivus motus hanc privativam subsequens causam, hoc est inanitionem diversa exposcit præsidia ab iis, quæ convulsioni à positiva causa, hoc est repletione, ortæ præscripsimus. In privativa etenim causa evacuationibus omnibus posthabitis alteri medicinæ parti secundum definitionem Hypocratis libr. de flatibus num. sexto adjectioni nempè opera danda, adjectioni inquam necessariæ limphæ

phæ, ad hoc ut irritativa ſalia diluantur, & patim obtundantur, quod totum felicitèr exequuntur oleum amigdalarum dulcium; longus aquæ Nucerinæ potus cum ſirupo violato, digeſtiva juscula cum cancris fluviatilibus, nec non cum ſimplicibus parata Alchali præditis, ut ſunt violæ, nimphæ, althea, flores papaveris erratici, cæterique ſpecifici dicti quos inter hypericon flores, item, & tiliæ palmam ferunt; balnea ex aqua dulci, & oleo conflata mira præſtant.

His non juvantibus ceu futilia ſummo jure medicamenta ablegentur, & veluti ad ſacram anchoram ad lactis uſum confugiendum, quod præ omnibus humanum ſeligendum, naturæ enim noſtræ homogeneum, conſonumque extat, hocque vel unica vice quotidiè, vel quod meliùs eſt, in dietæ lacteæ forma ſolo lacte vivendo, hæc enim utramque adimplet paginam, tenſiones ſedat butiroſa ſua parte, & ſalia cohibet, & vagi-

nat,undè ſanguini nova craſis tribuitur, non abſimilis ei quæ per Chirurgiam infuſoriam obtinetur. Præcedat tamen antè lactis uſum eccoproticum aliquod medicamen, nè primarum viarum ſordes puram lactis inquinent ſubſtantiam, quale erit ſirup. viol. ſolut., vel portio aliqua caſſiæ, conſervæ violarum, & Rhabarbari parumper, utpotè amarum medicamen, lac poſtmodùm aſſumat, iterùm Rhabarbarum per epycraſim in lactis ciatho aſſumendo, quod ad plures menſes continuet cæteris permittentibus, nequè menſtruationis tempore (ſi mulier fortè menſtruata ſit, quod rarum eſſe ſolet, cum convulſione detineatur, ab inanitione orta) illud intermittat ſuppreſſionis menſtruorum timore, lacte namquè ſalia, arteriarium tunicas in utero criſpantia abſorbente laxatur criſpatio, undè abundè emanant catamenia, abſtineat interìm ab acidis, & à dulcibus, acida lac grumefaciunt idem preſtant dulcia aceſcendo, utatur ſemel in
die

die Coffè potu, hic enim præter quam quod coagulationem sufflaminat vẽtriculi tono adstat; Vinum ableget, non quod sentiam lacti vinum opponi, Hypocrates enim in Epidemiis non solùm non inhibuit vinum lactis potatoribus, verùm etiam prò ut occasio detulit una cum ipso lacte vinum bibendum consuluit, sed quod vino inest impurum sulphur nervis perinimicum. Ad Hypnotica aliquandò recurrat nervinis maritata, ut sunt Pillulæ ex laudano cum succino, itèm ad aquam papaveris unà cum cerasorum nigrorum; Chinà chinà quoque utatur, quæ mira præstat, prò ut ratio jam exposita suadet, experientiæ irrefragabile testimonium confirmat, & Clarissimorum Ethmulleri, & Sydenam auctoritates testantur, qui antispasmodicis, & antysthericis omnibus chinę chinæ lactisque usum anteponunt.

§. IX.

§. IX.

Digressio de lactis natura, materia, & genesi.

QUoniam convulsionis abinanitione enascentis præcipuum, ac specificum remedium lac esse, hocque humanum, aperuimus, meritò ejus naturam, & quidditatem aliquantulùm perscrutari æquum, ac opportunum duximus, id verò expleri minimè potest, ni de ejus genesi prædisseramus non enim fieri potest, ut illius naturam distinctè assequamur, cujus adhùc natales ignoramus.

Lac itaquè, de quo Areteus scripsit Sumptu esse suave, potu facillimum nutritu solidum, & qualibet esca pueri familiariùs, visui colore delectabile, medicamentum arteriam non asperans guttur levigans, dulceque subsidium generari alii ex chylo, alii ex sanguine cre-

credunt, cujus diversæ sententiæ ratio à particularis viæ, qua chylus mammas adire possit inscitia procedit; Lateat in obscuro tamen ejusque permaneat inscitia, quod mihi sat est (absque eò quod cum nonnullis cogar mihi ipsi verosimilia effingere, ramulos nempè quosdam à thoracico procedentes ductu, indèque versùs sternum, & mammas reflectentes, compendiariam sic sternentes viam) mihi sat est inquam lactiferos, sive galactoferos ductus ipsos sanguiferos esse credere, remque eo prorsus modo se habere, quo cętera humani corporis particularia liquida ad varia ejusdem membra per communia vasa delata hic, & ibi aliqualem naturalitèr remoram, cribrationemque sortiuntur, exemplo sit præstantissimum candidi seminis, ex elaboratissima, & spirituosa chyli parte in testibus conflati opificium illuc non per particularia vasa, sed utrinque ex aorte trunco rect tramite per arterias delati, ibidemq ue
seque-

ſequeſtrati per minimos ſacculos glandularum vices gerentes in tubuloſam ipſorum ſubſtantiam. Sic ſanguinis quinta eſſentia non per proprios, ac diſtinctos ſpiritiferos canales, ſed per ramos arteriarum carotidum, & vertebralium cerebri, & cerebelli corticalem ſubſtantiam unà cum ſanguine ſcandit, ubi per exiles glandulas tenuiſſimæ, & magis volatiles ejus particulæ ſegregantur, atque in cerebri, & cerebelli poros impelluntur, ut mox per nervos in partes irradiantes univerſum illuſtrent microcoſmum. Urina paritèr cùm ſanguine per arterias renales venit ad renes, ubi in eorum glanduloſam ſubſtantiam urgetur, indè per illius poros particulæ tenuiores quædam ſecernuntur in tubulos quamplurimos quibus interna renum ſubſtantia conſtat, atque ex his deſinentibus in papillares nonnullas caruncculas trãſeunt in peluim, indè in ureteres; ſic in reliquis corporis ſuccis res procedit, bilis puta ſecretio, pãcreatis ſucci &c.

Non

Non alitèr de lactis via ſtatuendum dixi, arterias nempè thoracicas, & mammarias eſſe, per quas lacteus ſuccus unà cum ſanguine nondùm ſubactus, ſed adhùc crudus ad mammas perductus ab ipſo in glanduloſa earum ſubſtantia ſecernitur, ut alibi lacteo huic ſucco contingit, qui ante ſui aſſimilationem glanduloſis mediantibus cribris ſeparatur, quæ tamen ſeparatio non tàm citò evenit, reiteratis namque cùm ſanguine circulationibus illam aſſequitur, pro maſculini ſeminis materia, pro fætus nutrimento, ut Hypocrati placuit in libro de natura pueri aſſerenti. *Et ubi pervenerit in uteros de lacte puer ipſo paululùm fruitur.*

Quod autem in mammis à ſanguine ſegregetur ſatis comprobant multiplices illæ vaſorum implicationes, quæ circà conglomeratas glandulas papillis ſubjectas excurrentes in lactantibus præcipuè conſpiciuntur, eæque eo lactationis tempore ampliores, & turgidiores ob

ob chylicum ſanguine aſcenſum ſe exhibent , cujus aſcenſus modum demonſtrat Hypocrates , dùm libro de natura pueri textu vigeſimoprimo ait . *Lac autem ob hujuſmodi neceſſitatem fit quum uteri tumidi præ puero ſunt , ventrem mulieris comprimunt , ejus autem pleni , ubi compreſſio contingerit pringuiſſimum de cibis , ac potibus foras proſilit in omentum , ac carnem .*

Pratèr lactis aſcensùs modum , ejus materiam de cibis , & potibus eſſe quiſquis in præallegato Hypocratis textu aſteriſcò adnotet ; quòd pariter firmat idem ſecundo Epidemiorum ſectione tertia dicens . *Cibis , & potibus humeri , ac mammæ inflantur* , ut de ſeminis ſegregationis paritate adducta idem Hypocrates in libro de natura pueri docet . *Et ſi vir multùm coeat , venæ ampliores redditæ venerem magis inducunt .*

Liquidum lacteum à præfatis arteriarum complicatis finibus ex ipſo videlicèt

licèt sanguinis commercio in mammis
separari, continuatoque itinere in tu-
bulos galactoferos, seù lactiferos & ser-
vandum, & excernendum admitti do-
cent ad oculum duo experimenta à Do-
mino Antonio de Nuch in sua Adæno-
graphia capite secundo ingeniosissi-
mè tentata. Primum est iniiciendi in
vas aliquod arteriosum mammarum
tincturam quamdam, ejusdem namque
particulæ eò usquè propelli possunt, ut
vasorum galactoferorum, sivè tubulo-
rum lactiferorum subeant canaliculos.
Secundum est quod inspiciens Auctor
papillam variis foramibus totidèm du-
ctibus excretoriis perviam, eamdem
cum annexa mamma omnem liquorem
lacteum comprimendo expulit, ex iis-
demque unum ex magis patentibus sibi
selegit, in quod *Mercurium* suum, eà
qua potuit dexteritate, iniecit, & sta-
tim jucundo planè spectaculo observa-
vit non tantùm ductus galactoferos, ra-
morum arborum in modum expansos,
distin-

distinctè repleri, ſed unum atquè alte
rum ex hiſce ductibus minoribus eòuſ
què Mercurium admiſiſſe, ut in vaſcu
la arterioſa, dictis galactoferis continu
liberè transjerit. Hæc autèm clarè de
monſtrant patens iter eſſe lactis materi
tàm ex arteriis in tubulos galactoferos
quàm hiſce ex tubulis in arterias, u
nullus ampliùs hæſitare poſſit lactis, &
ſanguinis unam, eamdemque regiam
ac triumphalem viam occurrere.

Hanc lactis materiæ viam minimè r
probat purgatio lactenti ex medicame
to ſolutivo epoto contingens, pròut e
perientia patet, & Hypocratem ſext
Epidemiorum ſectione ſecunda aſſe
tientem legimus. *Mulier, capra, el*
terium, cutumerem ſylveſtrem com
dentes pueris purgatio; poteſt enim
medicamentum per arterias ad mam
mas pertinens, æquè ac ſi per compe
diariam viam ad ipſas tranaret ſoluti
ſalia lacti communicare, omnes eni
corporis partes, omneſque ex conſ
quen-

quenti succos purgans medicamentum per communes canales adit, deberemus alitèr particulare vas à ventriculo ad genitalia effingere, cum observamus venerem non raró stimulari ab assumpto medicamento, ut eruditè comprobat adnexis historiis celeberrimus Sinibaldus Senior in sua Geneanthropeja libro tertio tractatu primo capite duodecimo pag. mihi tercentesimatrigesima nona, cujus operandi modum, non difficile est judicare considerata purgantium facultate in sale volatili acri fundata; Omnes succos medicamentum adire dixi, undè si quis urinam, dum quis sumpto medicamento solutivo purgatur emissam biberet dejectoriam certè experiretur. Sed quid opus est ea mente concipere quæ sub sensibus cadunt, narrat enim Joannes Daniel Horstius in observationibus Nobilem quendam post horam ab assumpto medicamento per coitum scorto purgantem vim insinuasse; ut hæc decies vehementèr purgaretur;

ſic & croci odor, & color à nutrice aſſumpti lacti impertitus ad mammas per ſanguinis uniuerſalem circulum provehitur non ſecùs ac in uſu Rhabarbari, & terebinthi accidit, illud enim flavum colorem, hæc violaceum odorem urinæ tribuit, & tamen non datur particularis ductus à ventriculo ad renes, vel veſſicam, ſaltem non dùm exploratus, optatus tamèn pro deciſione viȩ thermalium aquarum tàm citò pertranſeuntium.

His ità præmonitis haùd quaquam difficile erit qualis ſit lactis materia decernere, quam chylum eſſe firmo, non autem ſanguinem, fruſtrà namquè allaboraret natura chylum in ſanguinem commutando, quandò rurſus eumdem à ſanguine in lac chylo non parum analogum convertere deberet à reiterara enim actione natura abhorret; Prætereà ſi ſanguis materia lactis foret, quanta nam præſto eſſet virium jactura ex lactatione.

De

De Lactis cum chylo analogia non est ùt ambigem, ipse enim elapsis annis in dissectione mulieris lactantis in Archiospitali Incurabilium defunctæ chyli portionem in venis lacteis adinveni mammas utrasque deindè dissecui, earumque glandulosam substantiam exprimens lactis plùs quam quatuor uncias collegi, lac unius mammæ acidi saporis erat, alterius verò dulcis, ac naturalis, hoc cum chylo in venis lacteis adinvento contuli, eumdemque saporem, colorem, similemque ferè consistentiam inspexi, similem non prorsùs eamdem, nam hanc à particulari mammarum glandulari fermento obtinet; Cujus existantiam ostendit tanta in mammis glandularum series, quà naturà mulieri prospexit, non enim nudà ex arteriis, glandulis mediantibus, transcolatione lactis opus absolvi potest, sed fermenti vis insimùl concnrrit, id quod evincit lactis aquositas, colostrum dicta, tertià, vel quartà à partu die per lacteam

fermentationem lactantibus obveniens, quæ non tantùm in glandularum porositatrm non adhùc ſatis expanſam, ſed etiam in particulare mammarum fermentum nondùm excitatum reiicienda venit. Fuit tunc animus utriuſque præfati liquoris analyſim per ignem agere, ſed reperti chyli exigua quantitas id exequi inhibuit.

Chylum inter, & lac admiſſa analogia, rationi magis conſonum videtùr lac ex chylo progigni ſentire, quam ex ſanguine, explorata præſertim lactei ſucci, chyli videlicèt, ad mammas via.

Neque huic pro lactis materia conſtituto obſiſtit ſanguis, qui quandoquè exſugitur è mammis, nam abſumpto chylo exſuctionis vis violentè arteriolas in mammæ glandulis deſinentes cogit, undè ſanguis exſugitur, eo prorsùs modo, quo qui effreno coitu partes ſpermaticas ſibi nimis inanientes ſanguinem loco ſeminis ejaculantur; quamvis, ut dixi, non ſanguis ſit ſeminis

nis materia sed nervosus succus, vel ut probabiliùs elaboratissima, & spirituosa chyli pars unà cum sanguine ad testes delata.

Superiùs exposita glandularum series mammis à natura largitèr concessa argumentum aliis minimè secundum suggerit ad probandam viam lactis arterias mammarias esse, non autem particulares ductus, vel à thoracico, vel à ventriculo ut Castello, vel à Pancreate, ut Deusingio placet, enascentes, nam particularibus datis hisce ductibus chylus non cum sanguine mixtus, sed purus ad mammas perveniret, undè ad quid tantus glandularum globus, cùm ampliùs transcolationis opus non requiratur, satis enim esset quod eò tùnc natura loco mammæ in mulieris thorace vessicam constituisset, ut non alio prorsùs modo res eveniret, quo urina jam in renibus à sanguine secreta in vessicam urinariam per particulares ductus ureteres dictos, simplicitèr amandatur;

At quià mammarum artificiosa textura non tantùm ad simplicem viralis nectaris asservationem eas extructas esse indicat, verùm etiam ad illius à sanguine secretionem, necnòn ad ulteriorem, proprio mediante fermento, elaborationem, planum indè fit chylum mammas attingere non per proprios ductus, sed unà cum sanguine per arterias, ut diximus, glandulis munere superstite illum à sanguine sccernendi, ac proprio fermento perficiendi.

Nec asserendo quis urgeat quorsùm cum sanguine chylus confunditur, dùm non multò post ab ipso secretionem in mammis subire debet, nam chylus cum sanguine permixtus circulans purior, & volatilior redditur, undè lac præstantioris indolis pronascitur.

Quod si Hypocrates in Aphorismo trigesimo nono sectione quinta lac ex sanguine conflari autumans, scribit; *Si Mulier quæ neque gravida est, neque concepit, lac habet, huic menstrua defece-*

fecerunt; Dico quod brutorum fęminæ lac habent, & tamen menstruis plerumque carent, notum quippè est nullum animal excepta muliere, & simia, menstruari.

Quià cum ipso lacte nutricis mores instillantur, cumque morum qualitas sanguinis qualitati congruat, sequntur namque corporis temperaturam, ex hoc forsan inferret aliquis lac ex sanguine progigni, id utiquè deducere esset, si non æquè ex lacte à chylo, ac à sanguine progenito morum qualitas derivaret, quin imò primariò à chylo mores dimanant, cum sanguis sit chyli filius, undè dictum insurrexit qualis chylus talis sanguis; Prætereà illud Helmontii si liceret credere quod anima hospitetur in ventriculo, mores originem à chylo ducere abundè probaret.

Ad Lactis essentiam rimandam me nùnc devolvo; hæc tribus diversæ naturæ partibus constat, quarum una

pinguis, & oleoſa butyrum conſtituens, quod anodinum, & epiceraſticum eſt, mirè enim lenit, acutaſque ſanguinis particulas invaginans ſpaſmodicas criſpaturas laxat, undè nobile antiſpaſmodicum medicamentum audit; Altera terreſtris, & limoſa, ex qua caſeus conflatur, qui ventriculi acidum firmat, & ſanguinis diſſolutas colligat particulas; Tertiam lactis partem exhibet ſerum, quod nitroſis partibus detergit, alvum lubricat, urinam promovet.

Antiſpaſmodicum lac eſſe ſcripſi, quamvis ut plurimùm ſpaſmi, ſeù convulſionis radix in capite hoſpitetur, & cum ipsâ cephalagiâ perſæpè adnectatur; Non enim capitis hæc affectio, ac dolor ſub Hypocratis de lactis uſu in Aphoriſmo ſexageſimoquarto ſectione quinta monitu cadit, cùm ipſe de capitis affectu, & dolore à lenteſcentis ſucci, non autem acris, & ſalini ſtagnatione exorto loquatur, ut adamuſ-

ſim

sim Doctissimus Joannes Fortis in Consultatione undecima, centuria secunda, tomo secundo sentit.

Non erit hic ut de lactis præstantià, & efficacià sermonem instituam, plura enim, & veteres, & juniores dixere de ejus mira facultate pro reficiendis extenuatis corporibus, pro acribus succis dulcorandis, pro coleræ antidoto, pro tabidorum podagricorumque solatio, pro hypocondriaci, hystericique affectùs medelà, pro scorbuticorum, unà cùm cochleariæ spiritu cura, tantum mihi repetendum superest lac esse præcipuum anticonvulsivum remedium, anticardialgicum medicamen, caffeatum præsertim, cetera tamèn non contemnendo præsidia, omnia enim sua constant laude, licèt famam non omnia assequantur, nec in totum ab iis, de quibus egimus, vindicent morbis.

DE

DE PLEURITIDE.

EXERCITATIO II.



UM nullus ferè morbus fræquentiùs Urbem Romam pertentet ob ejus cæli inconſtantiam, variamque exoticorum ſalium in aere mixturam, quam pleuritis, quæ proindè non raró endemici morbi nomen obtinuit; cumque non pauca in ea occurrant phænomena intimiori enucleatione digniſſima, non abs re fore duxi in ejus tractatu aliquantulùm immorari.

§. I.

§. I.

Pleuritidis essentia, idea, ac differentia.

PLeuritis itaquè à pleuron, hoc est latere costali, est pleuræ membranæ costas succingentis inflammatio, nec non musculorum insimùl intercostalium internorum, mesopleurorum videlicet (quos inflammari quoquè necesse est ob ipsorum cum eadem membrana contiguitatem) cum febre acuta, & continua in laterum alterutro punctorio dolore; anhelitu, tussi molesta, pulsu duro, & contracto, sputo jam citiùs, jam seriùs subsequente, sin autèm musculi externi tantùm inflammentur, pleuritis notha constituitur, notha scilicet non nisi ratione situs, & partis affectę, hæcque ob communionem propaginum venarum externarum cum internis in veram ac legitimam

mam pleuritidem non rarò abit. Datur quoque dolor lateris ex improviso enascens à flatibus, vel à vermibus in intestinis latitantibus ortus jam à Quercetano, & Bartholino allatus; Conditurà etenim bilis balsamica debiliore redditâ, animata putredo, ut Chyrchero, vermes vocitare placet, presto est, quæ sensiles intestinorum fibras titillando, nervis, qui antequam in abdomen obliquè descendant, musculos intercostales percurrunt, titillatione communicata pectoris dolor exsurgit in omnibus legitimam pleuritidem æmulans.

Concurrunt itaquè inter phænomena essentialem pleuritidem constituentia primò dolor lateris pungitivus membranis proprius, à sanguinis evasat acrimoniâ, spinæ ad instar, indefinentèr pleuræ sensiles fibras vellicante.

Secundò febris acuta, & continua particulari sanguinis extravasati effervescen-

vefcentiæ adfcribenda, ob quam impedito fanguinis fucceffivo circulo univerfalis deindè eiufdem fermentatio oritur, quo cafu febris eft effectus pleuritidis, è contra verò aliquandò caufa, & comes pleuritidis eft, in quantum fcilicet fanguinis ad turgefcentiam febrilem actus ab aliqua causà per vertebrales arterias in pleuram provectus in tranfitu fuo ibi lentefcentes exuvias deponens pleuritidem gignit, eamque deindè comitatur.

Tertiò anhelitus, thorax namque commodè dilatari nequit ob ejus mufculares fibras contractas, pulmoneque thoracis morbofum motum fequente infpiratio interrumpitur; Dixi ob contractas mufculorum fibras, pectus namquè cum fit refpirationis inftrumentum, ut fuo diftractivo dilatationis motu pulmonis expanfioni fpatium impartiatur, fuoque contractivo compreffionis motu eumdem placidè comprimat, quibus alternativis motibus refpirationis expletur

tur negotium, debet muſculos, & membranam ſuccingentem, utpotè prædicti inſtrumenta motus, molles, & ductiles habere, minimèque rigidos, & duros, quod cum in pleuritide contingat ob ſanguinis in pleura, & in muſculis ſtagnationem, nil mirum ſi anhelitus pleuriticos divexet.

Quartò tuſſis proptèr irritationem nerveis fibris muſculorum intercoſtalium impreſſam, deindèque nervulis communicatam aſperæ arteriæ à recurrentibus ſextiparis mutuatis; tuſſis tamen ſynpthoma potiùs eſt pulmonum, quam pleuræ, & muſculorum intercoſtalium, quà de re frequentiùs pleripneumonicos, quam pleuriticos angit.

Quintò pulſus durus, & contractus ob tenſionem arteriæ pleuræ ſpaſmodicè affectæ reſpondentem.

Alterius partis pulmonis inflammationem in pleuritide deſcendente præcipuè excludo, plurimis licet oppoſitum

ſen-

ſentientibus auctoribus, Platero videlicet, Ethmullero, Zecchio, & aliis, qui, ut liberè fatear, Hypocratis auctoritatis lib de loc. in homine text. vigeſimoquarto miſſo nucleo ejus tantùm corticem guſtantes, in eam ſententiam proruperunt, quod altera pulmonis parte inflammata legitima ſit pleuritis, utraque verò perypneumonia; Id utique protulit Hypocrates, at non legitimam pleuritidem intelligens, verùm eam, quæ à capitis diſtillatione (ut ſuo diſtillationum ſenſu loquitur Hypocrates) ortum ducit, quæ ab exquiſita pleuritide plurimùm differt, potiſſimum verò ratione materiæ nec non loci affecti, ut abundè clariſſimus Proſper Martianus exponit in explicatione præcitati textus verſic. ducenteſimoſexageſimoprimo, quod ulteriùs ſatis inductivè comprobatur ex curationis diverſitate, qua ipſe Hypocrates utitur in pleuritide in libr. de locis in homine allata ab illa quam in libro quarto acutorum textu ſexageſimo ſepti-

ſeptimo exhibet, ubi de legitima agens pleuritide ſcribit. *Internam brachii venam ſecare oportet, in eo videlicet latere, quod dolore fuerit affectum & pro habitu, anni tempore, & colore ſanguinem detrahere*; Agens autem de pleuritide ſpuria in libr. de loc. in homine, quam diſtillationi tribuit, febris ſedationem inhibet, quippe quæ Rheuma abſumit de ſanguinis miſſione nec verbum quidem profert, aliaque commendat præſidia Rheumaticæ potiùs affection quam inflammationi proficua; pate igitùr ex diverſa curationis methodo quod Hypocrates in lib. de locis in homine locutus ſit de ſpuria pleuritide, de fluxione Lymphatica potiùs quam de inflammatione, ſecùs autem in quarto acutorum, qua de re genuina pleuritidi ſedes, dummodò ſolitarius extet mor bus, in membrana coſtas ſuccingente, & muſculis meſopleuriis ſtatuenda ve nit pulmonis vitio excluſo, quod in ple ripneumonia tantùm accuſandum.

Ne-

què contrarium mihi ſuadet quod in pleuriticis pulmones quoquè inflammati fuerint reperti, hoc namque ideò evenit, quià pleuritis tam vehemens erat, ut in pleuropneumoniam degeneraverit, quod intelligit Hypocrates in ſectione ſeptima aphor. decimoprimo ubi ſcribit. *A pleuritide peripneumonia malum.* In vehementi etenim pleuritide, quam acuta comitatur febris in qua magna eſt reſpirandi difficultas, copioſa anacatharſis, difficile eſt quin ſimùl ſuperficies ſaltem pulmonis non compatiatur facile enim eſt ut butiroſo latice, quo pleuræ, & pulmonis ſuperficies in ſtatu naturali illiniuntur, vel ob minutarum oſcillarum, quæ in glandulis exiſtunt contractionem deficiente, vel ſalino, viſcidoque reddito, utraque ſuperficies ità coaleſcat, ut affectio, quæ vel in pleuræ, vel in pulmonis ſuperficie inchoavit in alteram comigret, fiatque una duarum partium ægritudo, pleuropneumonia enaſcente, quod eò

faciliùs evenit ſi pleuritis aſcendens extiterit, in ſuperiore videlicet pleuræ parte prope jugulum, ubi cum naturalitèr in quamplurimis fibroſis nexibus firmitèr coſtis alligetur, & connectatur ſanguinis ſufflaminato circulo ab aliquà ex cauſis exponendis per venas, & arterias ab intercoſtalibus prodeuntes contiguæ, & connexæ pulmonis parti inflammatio communicatur, quà proptèr contingere obſervavit in praxi Clariſſimus Diamembrech. citam, liberamque pleuriticorum puris expuitionem in illis, in quibus ex aliquibus ſignis judicabat pulmonem pleuræ adhærere, undè vaſorum aliquale enaſcebatur commercium, ex adverſo verò illos, in quibus pulmo liber erat à pleura pleuritide rariùs corripi, correptos autèm ſi ad ſuppurationem deveniebant rariſſimè ſolvi per puris expuitionem, ſed plerumquè in empiema tranſire in thoracis cavitatem pure defluente, è qua haùd facilis datur in pulmonis poros introitus ad

anacatharſim efficiendam, ut inferiùs ediſſeram.

§. II.

Pleuritidis cauſæ.

DE pleuritidis immediata cauſa peracturus non ægrè patior eam in notam incidere quod crambem bis coctam exhibeam, dùm repeto quod olim Excellentiſſimorum Archiatrorum Collegium ingrediens in Medicis ſubſtinui concluſionibus. Immediatam igitur pleuritidis cauſam jàm apud omnes unanimi conſenſu conclamatum inſpicio acidum eſſe, ab hoc enim ſanguinis lenteſcentiam tam intrà, quam extrà corpus per venæ ſectionem educti pendere inquiunt, huic pleuritidis cuncta adſcribunt phænomena, hujuſque tandèm abſorbitione illius curam credunt abſolvere, quantum autèm à veritatis orbita aberrent acidi iſti Medici, ex di-

vino Coo, nec non validis rationibus, quas afferam, quæsò deducant, & primò trigesimumtertium Hypocratis Aphoristicum assertum sectione sexta expendam. *Qui acidum eructant non admodùm pleutrici fiunt*, non quià acidas rubræ massæ particulas elutriando per alitum sanguis immunis superstes sit ab acido, & ex consequenti haud sit obnoxius coagulationi, quod idem sonat ac dicere inflammationi juxtà neotericos, at quià ructus acidi laudabilem chylosin indicant, ut colligere est ab eodem Hypocrate, dùm ait. *Ln diuturnis lævitatibus intestinorum si ructus acidus superveniat, qui priùs non extiterit bonum est signum*, indicat enim digestiva ventriculi fermenta reviviscere, sicque chylosi ritè contingente, intestinorum lævitas desinit, non ideò tamèn velim quod oppositum sentientes existiment, ideò acidum ructantes pleuritide non corripi, quià hi laudabilitèr chylificantes, ex consequenti laudabilem paritèr

sor-

ſortiantur hæmatoſin, hoc eſt volatilem cruorem, minimèque lenteſcentem, unde ejus ſtagnationi non ſint obnoxii, res enim remotè quidèm ità ſe habet, ſed ulteriùs quoquè proximè eidem acido ſanguini inhærenti, ipſumque diſſolventi tribuenda res venit, quod luculentèr ut pateat indiſſolubili hoc dilemmate probandum mihi ſumo; Acidum iſtud quod ructatur vel à ſanguine in ventriculum exantlatur, vel in ipſomet ventriculo gignitur, ſi primo modo, antè exantlationem in ventriculum pleuritidem gignere debuiſſet, ſi pleuritis fieret ab acido, ſed hoc non contingente, falſum eſſe conſtat pleuritidem ab acido progigni; ſi altero modo quidquid ventriculo ineſt chylo, & ſanguini communicatur, ſed ſanguini tali acido communicato, & non ſuccedente pleuritide, ut ex aphoriſmo habetur, liquidò patet pleuritudinem non ab acido commentitio iſto fieri, & ſanè hoc acidum aceti ad inſtar terram fermentan-

tis non inſpiſſat, non ad concreſcentiam cruorem diſponit, ſed ipſum diſſolvit, & volatizat, acidum autem acidiſſimum illud eſt, quod morbum facit, illud equidèm dolorem, tuſſim, & anhelitum adauget, cujus ratio eſt, quia ſpaſmodicè per vellicationem contractis nerveis pleuræ fibrillis, nec non ſanguiferis vaſis inibi circulantis ſanguinis extaſis pronaſcitur, hìnc inflammatio, jam præexiſtente in maſſa acidiſſima diatheſi ſtagnationi ipſam diſponente, ut Hypocratis oracula ſonant, quæ libro de veteri medicinâ propè textus vigeſimiquarti finem nobis reliquit enunciando. *Maximè autem nocere quod in uno quoquè potentius eſt, ut inter dulcia dulciſſimum, intèr amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & quod in unoquoque genere ſummum eſt*. Hypocrates verò Aphoriſmo trigeſimotertio ſectione ſexta de acido tantùm loquitur, non de acidiſſimo, quod aptum ſane eſt, non pleuritidem tantùm, ſed innumera

mor-

morborum genera parere, acidum enim, antiquiſſimum principium non enim ejus exiſtentia in humoribus humani corporis vel naturalibus vel morboſis antiquis ignota, illud namque in eodem libro, Hypocrates adnumerat inter naturales ſapores, undè non ſemper perniciosſum immo quandoque utile, & neceſſarium, quod Aphoriſmo trigeſimotertio ſectione ſexta adamuſſim cohæret, ex quo meritò emanat monitum, non tàm rigorosè ab acidis abſtinendum eſſe, ut mos in pręſentiarum eſt, verùm ab acidis auſteris, & ab acidiſſimis, ut pręclariſſimus Lucas Tozzius cap. de Nephritide, & Bonetus in ſuo theſauro tomo ſecundo capite de calculis de acidis ſcribunt; acidiſſima enim in ſuo genere ſumma ſunt, ut Omphacii ſuccus, acidiſſimum acetum, vitrioli ſpiritus in magna ſumptus copia, & ſimilia ut Sennertus libr. inſtit. pagina nonageſimaſecunda habet.

Hoc pacto enata pleuritis, eſſentialis

morbus erit, febriſque ei adjuncta comes ipſius; Alitèr res ſe habet, febre pleuritidem præcedente, in quo caſu febris erit cauſa, pleuritis autem effectus, & ſymptoma febris; per febrilem enim fermentationem turgeſcens ſanguis, vaſa ad quæ circulationis lege appellit, diſtendit, ad fibrarum uſque rupturam expandit,tandemq; ebullientis ad inſtar muſti è vaſis diſſilit, in quorum intercapedine evaſatus hærens lenteſcit, pleuritidemque, vel inflammationum alia genera infert, prò ut in pleurà vel aliis in partibus id contingit.

Mediatæ, & remotæ pleuritidis cauſæ in rerum non naturalium prępoſtero uſu conduntur hæ quippè vel cruorem nimis diſſolvendo, vel ipſum nimis coagulando, (utrumque enim malum, eamdem ludunt tragediam) diſſolutus enim ſanguis è vaſis diſſiliens evaſatus apoſtemizat, idem ſubit coagulationi aptus redditus; Aer hybernus inſpiratus, utpotè frigidus uti Hypocrates Aphoriſmo

rismo quinto sectione tertia de flatu Aquilonis scribit frigidum enim cum sit convulsificum teste in coacis eodem pagina quingentesimaquinquagesima quinta text.quadragesimotertio,ut mihi constitit anno 1694., quo tempore à rigidissimo frigore, & nive innumeræ, atque lethales sæviere pleuritides, frigus enim thoracis vasa crispat, & spasmodicè contrahit, undè sanguis remoram patitur, quam canalium distentio, & ruptura excipit, & dein inflammatio, sanguinis exclusa congelatione, quam frigus inducere multi credunt, cum inverisimile sit quod in vivente corpore talis congelatio contingere possit, ut parili ratione à cathalepsis causa meritò reicitur. Idem efficiunt pleniores frigidi potus, effeti haustus, qui insimul sanguinis activa principia submergunt, taleque aeris, & potûs frigidi vitium faciliùs suas exerit vires, in corpore laboribus excalefacto ob auctam in illo à labore cruoris expansionem, quæ cum vix va-

vaſorum naturali diametro coerc
poſſit, eorum ruptarum jam facilè i
fert, eòque magis à ſuperveniente co
tractione, anguſtia, à frigore ind
ᵭta;

Pleuritidem reliquæ paritèr pariu
non naturales res plethoram, vel cac
chimiam inducendo; in hac acidiſſim
complector ſuccos, in illa vaſorum
ſanguine turgiditatem, undè diſrupti
& inflammatio exoritur, quam efficiu
etiam ſuppreſſæ ſanguinis evacuatio
nes, ſuppreſſa paritèr podagra, nec no
diſſenteria, hæcque facillime cum un
tatem quamdam ſortiatur in cauſa, ſo
loci diverſitate diſtincta; Scabiem retro
pulſam pleuritidem intuliſſe refert A
matus Luſitanus centuria ſecunda. Si
& ulcera exſiccata, tumores retroceſſ
ut non ſemèl in ęgrotis Archihoſpitali
Incurabilium obſervavi, & ſanè tumo
rum retroceſſus res eſt periculoſæ aleæ
illis enim detumeſcentibus, materia
morbifica ſtagnatione ſua ulteriùs de
pra-

pravata, in ſanguinem reicitur, ubi lugubres producit effectus. Epidemicè non nunquam pleuritis graſſatur ob æris maglignam conſtitutionem in pleura, vel in ſanguine tranſlatam; Non enim ſemper latet in aere occultus vitæ cibus, ut Vuan-Helmontio placet, ſed quandòquè latet in aere occultum vitæ venenum, qua de re non injuſtè Galenus Romanum cælum criminatus eſt.

§. III.

Pleuritidis ſigna.

PLeuritidis cognitio rectè ait in ſua praxi Gaſpar Ophmannus quod ſcientifica ſit, certis, & definitis ſignis fundata in definitione jàm recenſitis quamobrem ad diſtinctiva me verto ſigna ipſam ab aliis diſtinguentia morbis ei ſimilitudinem habentibus; Nàm ſimilitudines morborum peritis etiam in arte imponunt, & primo pleuritidem aſcendentem, quam Hypocra-

pocrates ſecundo acutorum dividit à deſcendente diſcernere ſola doloris ſitus inſpectio patefacit, in illa enim dolor ad ſuperiora, & jugulum versùs extenditur, in hac Hypocondria versùs vergit.

Sicca paritèr pleuritis, quam Hypocrates primo acutorum exponit ab humida differt, quod in illa nihil, vel parum excernitur per Anacatharſin non ſolùm in morbi ingreſſu, ſed nequè in illius progreſſu, in hac verò in ipſo morbi principio abundantèr expuitur.

Nothà pleuritis ab inflammatione muſculorum externorum intercoſtalium orta à legitima diſcriminatur, quod in illa febris non adeò eſt acuta, tuſſis deeſt, nihil expuitur, dummodò tamèn non complicetur rheumatica affectio, pulſus non tam durus, dolor mitior eſt locus digitis preſſus dolet, tumor aliquando foris manifeſtatur, qui quandoquè ſuppuratus per cutem

effluit

effluit texte Galeno quinto de locis affectis cap.tertio. Idem in legitima pleuritide quandoquè contingit ſi in ipsà prægrandis ſuccedat ſtagnatio, quo tunc pleuritidis nothæ ſpeciem præſefert, cum tamèn internæ inflammationis ſaltem incrementum ſit, ad quod diſcernendum nè fallamur ad alia ſigna confugiendum.

A peripneumonia differt, quià in hac mitis dolor eſt, & ferè nullus, peripneumonia namque plùs periculi quam doloris habet, excepta illa, in qua ſuperior pulmonis pars inflammatur, uudè ob pulmonis fibrarum membranæ nexum cum pleura dolor quoquè acutus inſurgit, conſtituiturque peripneumonia, ad hæc reſpiratio difficillior extat, tuſſis paritèr magis infeſtat, genarumque inſupèr rubor aſpicitur.

Ab inflammatione Diaphragmatis diſtinguitur quod hoc inflammatum ſeſe contrahit, colligatumque Hypocondrium

drium intrò revellit sursùm, ut Hypocrates in Coacis text. decimoquinto nec non primò Epid. ægro secundo, septum enim quoniam propter tumorem nequit ex toto contrahi, & vim suam exerere, igitur in cavitatem abdominis nitetur minùs, & in eamdem movebitur per multò minùs spatium, undè musculi abdominis introrsùm contrahi liberè poterunt, & contenta viscera sursùm agi, undè videbuntur hypocondria seù præcordia introrsùm, & sursùm revulsa; Quià verò septo non se pænitùs contrahente motus pectoris fit minor, ex hoc respiratio quoquè minor efficitur; Insupèr dolor extrema costarum vexat, estque circularis ubi videlicet Diaphragma alligatur; Adest delirium, undè Hypocrates in lib. de morbo sacro scripsit. *Nequè ego sanè novi quam vim habeant præcordia, & Phrenes, ut sapiant, & intelligant*, sicque vera Phrenitis emergit desumpto nomine à parte, quæ phrenis ab

b Hypocrate appellatur tanquam ſa-
ientiæ primarium inſtrumentum, ut
roſper Martianus in lib.tertio de Mor-
is verſic. nonageſimonono ſcribit,
uſque duæ arteriæ, totidemque ve-
æ ideò phrenicæ dicuntur Diaphrag-
na itaquè inflammatum dat phreniti-
em, ut Hypocrates in eodem citato
extu ait; Haùd autem cerebri mem-
ranæ inflammatæ, ut vulgò creditur,
æ quippè inflammatæ inferunt ſpha-
elum.

Ab inflammatione Mediaſtini qui
olor non alterutrum latus occupat, ſed
ersùs jugulum ſe extendit, neque tam
unctorius eſt.

Hæpatis inflammatio pleuritidem
ræſefert, undè nè decipiamur attentè
iſtinguenda eſt ab Epatitide in hac
nim dolor eſt gravativus infrà coſtas
othas in latere dextero circà dexterum
Hypocondrium, tenſio quidem moleſta
d jugulum uſquè aſcendit, anhelitus
itior eſt, alvi excrementa quandoque
cruen-

cruenta sunt, pulsus undosus, non nunquam singultus advenit, hæpar enim inflammatum immediatè contingens diaphragma irritat continuò, ac stimulat; ut convellendo singultiat, tussis minor, ac sicca, aliquandò tamen humida quin imò cruenta, ut Hypocrates in libro de intern. affect. textu sexagesimo ubi scribit: *Cum venæ cavæ per pulmones tendentes sanguine, aut atra bile impletæ fuerint, venulæ aliæ in alias rumpuntur, ut quæ in angustiis sunt conclusæ, & exitum non habeant, & dolorem exhibent, ac flatum in pulmone &c.* Quandòquè inflammatur pleura in regione dorsi ubi adnascitur diaphragmati, & hæc interdùm ab incautis pro nephritide habetur, ut Barbet. refert.

§. IV.

§. IV.

Prognoſis Pleuritidis.

ACutiſſimum,ſæpiuſque lethale malum eſt pleuritis, ſi quid maligni præcipuè concurrat, ut in Epidemicè graſſante plerùmquè contingit ſin autem benigna ſit, ſputaque citò, & abſque magna difficultate reiiciantur, & ſimpthomata non multum urgeant, æger in vado eſt juxtà 12. Aphoriſmum ſectione prima *In pleuritide ſi ſputum appareat in initio intrà tertium diem brevem morbum indicat, ſin verò poſteriùs longum*, & quandòque in Empyema tranſit, ut idē Hypocrates Aphoriſ. octavo ſectione quinta. *Qui pleuritide laborāt niſi intrà quatuordecim dies supernè per ſputum repurgentur, iis in empyema ſit tranſmutatio*, dummodò tamen nulla alia ſuperveniat evacuatio cum pluriès viderim emiſſo ſanguine abſquè ſputis pleuritides ſudo-

re evanescentes, quas ulteriùs Amatus Lusitanus centuria septima curat. vigesimaoctava sinè venæ sectione die decimaquarta per sudores curatas refert, idem paritèr evenit per urinas farinaceas repùrgatà pleuritidis materia, ut in puero pleuritico observavit Phrigius, & Valleriola lib. primo observ. quinta in filio suo octenni per alvi fluxum purulentum, sic & per diarheam, quam criticam Pannarolus, Pentecoste prima observat. trigesimasexta in septuagenario pleuritico observavit; hæc enim persæpe pleuritidi inperscrutabili naturæ motu, remedio est, quamvis oppositum sentire videatur Hypocrates ubi in Aphorismo decimosexto sect. sexta ait. *Pleuritide detento si alvi fluxus superveniat malum* quod quidèm verificatur in alvi fluxu immoderato, & absquè coctionis, signis, nec non in expuitionis actu contingente, quod prætèr quotidianas observationes testatur Zacutus Lusitanus lib. secundo praxis admirandæ observat.

cen-

centesimàvigesimàsextà ubi refert quod Medicus quidam ægrum pleuriticum commodè spuentem octava die purgavit ex Rhei infuso, & diaphenicone, unde cohibito sputo mors subsecuta fuit die duodecima. Idem subiit Sconphus in Æneidis pleuritide correptus, ut quinto Epid. Hypocrates habet; ceterùm si diarrhea moderata sit, expuitioque nondùm apparuerit non raro pleuritidi prodest, quod confirmat historia Cauponis peripneumonici qui diarrheà sanùs evasit die decimaquarta Hipocrates septimò Epidemiorum.

Qui sæpiùs pleuritide laborant, pleuræ structuræ vitio adaucto pleuritide tandem pæreunt, sic & asthamatici difficilitèr à pleuritide evadunt ob pneumonica vasa, per quæ expuitionis materia transire debet à crassis, viscidisque succis infarcta.

Pleuritis sinistri lateris minùs lethalis, ut Hypocrates in Epid. lib. septimo de filio Amphiphrodis, hæc enim in em-

piema si transit sectio in latere sinistro peragenda minùs læthalis est ob cavæ defectum, & majorem diaphragmatis, sub quo minùs mole est viscus, quam in dextero depressionem.

§. V.

Pleuritidis cura.

PLeuritidis cura varia instituitur prò ut variæ circumstantiæ concurrerint crises, videlicet vergentiæ multiplices, ætas, constitutiones particulares, anni tempus, pleuritis simplex, vel cum alio implicita affectu, quę prò ut diversimodè occurrerint experti cõsiliũ Medici diversimodè diriget, quod dictum velim in illorũ monitũ qui præfatam spernentes phænomenum diversitatem solo lateris doloris nomine audito unicum pro illo decantant remedium, quod venæ sectio est, quæ ut plurimùm quidèm prodest, quandoque tamèn quod officiat nemo inficiabitur, ut ratio-

ne,

ne, experientia, & auctoritate ostendam.

Jactet, interìm adsuam usque satietatem Sidhenam, dùm ait pleuritidem nunquam sanari absque sanguinis ad quadraginta unciarum missione. Exclamet paritèr tota Medicorum antiquitás, quod sanguinis missio sit potissimum curandæ pleuritidis arcanum, quod ego oppositum quandoquè contingere demonstrabo, quandoquè verò verificari, undè illud fanatici, & pseudo chimici nomen, quo Vuillis utitur in pleuritidis tractatu de iis, qui non secant venam quandoque de iis quoquè dici potest, qui indiscriminatim in omni lateris dolore sanguinem extrahunt, quamobrem generalia meritò ablegan-da dogmata, nec certi limites in re Medica figendi, quos ultrà citròque progredi, aut in eisdem consistere non liceat, in qua si qua in alia Salamonis aurea sententià pensitanda sempèr venit: *Omnia scilicet tempus habent*, quod

ſapiens effatum ſuggerit, & aliud non inferioris notæ præcitati Sidhenam quod ſua pace hìc inſero, ſi fortè parum ſibi cohærere videbitur in præſtantiſſimis ſuis operibus, dùm unverſalitèr de ſanguinis miſſione in pleuritide decernit, & poſtmodùm de febrium curatione agens in ſectione prima cap. ſecundo habito ſemper reſpectu ad affectionis varietates, & prævaricationes loquitur; Ait enim: *Hoc pro comperto habeo ex multiplici acuratiſſimarum obſervationum fide prædictas morborum ſpecies ità, quod ajunt cælo differre, ut quà Methodo currente anno ægrotos liberaveris eadem ipſa, anno jam vertente, forſitan è medio tolles, undè anceps hæreo qua mihi via inſiſtendum, ut ægris ſubveniam, ac proindè niſi ingenti adhibità cautela, intentiſque omnibus animi nervis vix, ac ne vix quidem poſſum efficere ne unus, aut alter eorum qui ſe primi meæ curæ ſubmiſerint vita periclitentur, donec inveſtigato jugitèr, tandemque perſpecto morbi genio, ad eumdem per-*

perdomandum recto pede, & intrepidus denuò procedam.

In pleuritide itidem ſimplici nulla concurrente contraindicatione ſanguinis miſſionis neceſſitatem Hypocrates lib. quarto acutorum text. ſexageſimo ſeptimo ſcriptum reliquit dicens. *Internam brachii venam ſecare oportet, eo videlicet latere, quod dolore fuerit affectum, & pro habitu, anni tempore, & colore ſanguinem detrahere*, & idem Hypocrates in eodem lib. textu ſeptuageſimotertio: *Auferre autem ſecundum corporis habitum, & anni tempus, & ætatem, & colorem ampliùs confidentèr ſi acutus fuerit dolor, vel ducere ad animi deliquium.* Idem aſſeruit Galenus commento trigeſimoſexto Epid. quadrageſimoquarto dicens: *Quod in omnibus inflammationibus præſtantiſſimum remedium venæ ſectio.*

His omnibus auctoritatibus ratio, & experiētia adſtipulatur, quoniā per venę ſectionem febris minuitur, sāguinis ulte-

rior promovetur circulatio, undè ſtagnati ſanguinis fit reaſſumptio, quapropter ſtatim mittendus ſanguis quacunque hora fuerit ideò Hypocrates quarto acutorum celeritati conſulens dixit. *Venam incidere oportet, & poſt hæc cliſtere uti*; Hæcque erit brachi lateris oppoſiti, ſi plethoricus ſit pleuriticus, ac ſi initians ſit pleuritis ſecùs in brachio è directo laborantis lateris, quo in loco clariſſimam ſæpè attulit utilitatem quæ verò ex brachio oppoſito aut omninò obſcuram, aut poſt temporis intervallum, ut Galenus præfatis fermè verbis lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. decimoſexto ſcribit. Quæ incidendæ venæ diſtinctio verum quidem eſt quod pro diminuenda ſanguinis quantitate juxtà circulationis leges parùm intereſt, attamen quià præter generalem ſanguinis evacuationem particularis derivatio propriè dicta in pleuritide requiritur, in qua cum ſanguis è privato ubi age-

ritur loco educendus ſit, idcircò modò hæc modò illa vena pro locorum affectorum, & pleuritidis temporis diverſitate ſecanda venit, ob quam ſimilitèr rationem ſi pleuritica ſit mulier actu menſtruata, & pleuritis multùm urgeat & menſtrua ritè proſequantur vena brachii incidenda cucurbitulis ſiccis, interim coxis affixis, non enim tunc agitur de menſtruatione augenda, aut ipſa revocanda, ſi fortè ſuppreſſio antiqua præceſſerit, hoc enim moram requirit, quam haud fert acutus morbus, qui non dat inducias, ſed de motione, & reaſſumptione ſanguinis in pleura ſtagnati, quod fælicitèr explet ſuperiorum ſectio venarum, quæ reiteranda venit prò ut morbus urgeat, vires permittant, & contraindicans deſit; Quod ſi pleuritici languor phlebotomiam non permittat ejus vicem ſupplent cucurbitulæ cum ſcarificatione loco dolenti applicitæ.

Oppoſitum autèm de ſanguinis miſſione ſentiendum in laterum doloribus

prò

prò pleuritide falsò habitis, hi quippe persæpe gignuntur à crasso rheumate, à flatibus, & à vermibus, cujus histori am à Quercetano adductam jam suprà enunciavi, ejusdem paritèr generis est pleuritis, quam sic impropriè appellat Hypocrates de locis in homine quamque meritò ut Rheumaticum affectum curans sic exponit. *Ceterùm pleuritidem hoc modo curare oportet, febris non est sedanda, per septem dies, potu utendum aut aceto mulso, aut aceto, & aqua; hæc autem quam primum offerre oportet, quo humectatio fiat, eaque facta excretionem faciat, dolor sedandus est calefactoriis medicamentis, & ad sorbendum dandum est quidquid excretionem faciat, & balneis utendum quarta die, quinta autem & sexta oleo illinendum est, septima lavandum, est si febris dimittere nolit, quo præbalneo sudor contingat*; Ex qua methodo extrà dubitationis aleam ponitur quod non fuerit pleuritis legitima, imò vix spuria, spuria scilicet ratione, & loci, & diver-

sæ

ſæ materiæ, loci nempè in muſculis externis, materiæ, nam fuit Rheuma ſuccuſque crudus, undè febris ſedationem inhibuit acetum mulſum præſcripſit, nec non medicamentis calefactoriis fuit uſus, à quibus omnibus in legitimæ pleuritidis cura prorſus ſe abſtinuiſſet, & abſtinuit Hypocrates ut videre eſt in præcitato textu ſexageſimoſeptimo lib. quarto acutorum, cui inhæret Jacobus Hollerius in commento textu decimo octavo lib. ſeptimo coacarum.

At non ſolùm oppoſitum de ſanguinis miſſione ſentiendum in dolore lateris ſupràcitato, quem pleuritidem appellat Hypocrates, verùm quandoquè, & in legitima pleuritide, in quà nonnunquàm venæ ſectio obeſt, quod Hypocratis auctoritate fit planum, ubi in lib. ſeptimo ſectione decimaoctava coacarum ait. *Dolores ſecundum latus in febribus venæſectio ledit*, cujus in cōmento Deſiderius Jacotius uniformem à Galeno ſententiam tertio de humoribus

alla-

allatam exponit dicente. *In pleuritide ergò si morbum attendas, venæ sectionem postulat, ipsa tamen non semper id exigit, nisi alia quoquè adsint quæcunque sanguinis detractionem indicant*, nimirùm morbi magnitudo, & vires, quocircà ab Hypocrate etiam alibi sanguinis missio in pleuritide inhibetur in Epidemiis scilicet lib. sexto sect. tertia textu quarto ait. *Impedimentum in cruenta spuentibus, anni tempus, pleuritis, bilis*, quod licet Vallesius non intelligat pro negativa venæ sectione, at pro difficili curatione hæmopthisis in abundantia bilis, in anni tempore hyemali videlicet, vel æstivo; In pleuritide hoc est si jugiter pleuritide detineatur hæmoptoicus, sed ipsamet Vallesii interpretatio diversam licèt ipse judicet ab evidenti sensu textùs, eumdem tamèn, & genuinum Hypocratis sensum demonstrat, nam si adsit pleuritis, & superveniat sanguinis sputum, tale sanguinis sputum in hoc casu cum non sit morbus distinctus

à pleu-

à pleuritide, ſed pleuritidis criſis, venæ ſectionem reſpuit, dummodò tamen citò, abundè, & cum ægri euphoria contingat, tandemque morbum judicet, ſi verò ſecus eveniat ſimpthomatica excretio erit, & tunc ſanguinis miſſio nihilominùs conveniet, quà de re pro certo habendum recenſita obſtacula phlebotomiam impedire, quoniam in pleuritide, ut dixi, in quà expuitio adeſt critica dolorem ſolvens, ad quid requiritur phlebotomia niſi ad proſternendum ægrum, ad ſupprimendam expuitionem, reiterata namque phlebotomia pleuritidem ſiccam facit, qua proptèr Duretus in coac. dixit. *Quoniam detrahendo ſanguinem ſputum quod omni arte ciendum erat retrahitur ipſaque ſiſtitur anacbatarſis quæ liberalis erat, & libera, quæque ipſa per ſe facit ut nihil opis requirat pleuritis à Medico quià tunc ſua, ſponte quieſcit.*

A Phlebotomia paritèr abſtinen-

dum

dum venit in pleuritide dum pus conficitur, nè natura à ſuſcepto diſtrahatur opere, quod haùd indiget probatione cum clarum ſit quod ſuppoſita ſtagnati ſanguinis impoſſibilitate reaſſumptionis, reliquum eſt ut in pus convertatur hocque ad fermentationis opus reducitur, interjacet enim inter Apoſtema, & febrem analogia quædam quò ad ſuppurandi modum, quà de re ſanguinis miſſio tùnc ablegand̃a, quippe quæ ipſam inhibet; Non abſimilis curandi methodus occurrit in pleuritide epidemica maligna, dummodò tamèn prævaleat malignitas inflammationi, quo in caſu ſolis diaphoreticis utendum, inter quę canphora primatum obtinet, nec non foribus diſcutientibus, & inſimùl laxantibus.

Quid de purgantibus tali in affectu ſit ſtatuendum, res eſt authorum diſſidiis implicita, ſi enim antiquos conſulamus Hypocratem purgationem negantem habemus lib. de ratione victus in acutis

textu trigeſimoſexto ubi ait. *Quicunque ea, quæ inflammata ſunt ſtatim in principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio, quæ adhùc cruda eſt quæ verò morbo reſiſtunt, ac ſana ſunt colliquefaciunt.* Hanc ſuam ſententiam limitat ipſe Hypocrates lib. de morbis dicens. *At ſi æger bilioſus ſit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo priuſquam ſalivam bilioſam expuat medicamento bilem probè purgato. Si verò jam expuat bilioſa, medicamentum nè dederis.* At quomodocunque medicamentum præſcribat Hypocrates in pleuritide, Galenus id eſſe periculi plenum judicat, quapropter ait tantæ difficultatis eſt pleuriticum nondum inclinante morbo expurgare, læduntur enim mille modis aut auctà febre, & inflammatione ab ipſis medicamentis, aut debilitatà virtute, & morbo nihilò diminuto.

Ex adverſo Zacutus, Valieſius, Martia-

tianus, Petrus Salius, Sennertus, Thomas Vuillis, aliique quamplurimi purgationem admittunt, fræti non solum Hypocratis authoritate lib. de morbis, verum etiam ejusdem authoritate lib. 2. de ratione victus in acutis promulgatà videlicet. *Si dolor ad claviculam pertigerit, aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transverso superioribus gravitas internam cubiti venam secare expedit, si verò eas quæ sub septo transverso partes dolor infestat nullum ad claviculam signum fecerit, ventrem, vel nigro veratro vel peplio mollire oportet.* At cum Hypocrates in secunda prædictæ sententiæ parte non loquatur de pleuritide, etenim dolor qui sub septo transverso est, non est ampliùs in pleura sed inventre inferiore, vbi flatus supponens, aliosque pravos succos purgantia discutientibus mixta præscribit Daucum scilicet & cuminum cum veratro nigro, recensitorum authorum fundamētum ruit purgationem in pleuritide commendantium,

tium, quamobrem sufficiat tantùm inhærere Hypocratis textui octavo de pleuritide ubi scribit. *Pleuriticis autem prodest alvum molescere &c.* duci videlicet (ut clarissimo Dureto placet unico Hypocratis interpreti, ut ipsum appellat Ballonius in Ephemeridibus,) mollibus, & figuratis excrementis, hoc est alvus sit naturalitèr constituta non sicca, & dura, quæque nonnisi coacta laxatur, pro quo obtinendo sat erit usus olei amigdalarum dulcium pluriès repetendus, quod præterquam quod alvum mollem reddit, pleuræ spasmodicam crispaturam laxat, & expuitionem coadiuvat, prò ùt quotidianæ testantur observationes contra opinionem, quod, quæ pinguia, & oleosa sunt ad inflammata non conducunt; fugato autem morbo tùnc tutò exhiberi medicamentum purgans potest, quale erit manna in ptysanæ præcipuè forma parata, sirupus violaceus solutivus, vel electuar. lenit., & simlia, nec aliter nos

moveant ad purgandum in pleuritide, criticæ diarrheæ in ipſa obſervatæ quas ſuprà retuli, non enim ſcimus ut natura poteſt, & ſolet, ubi eam imitari voluerimus ritè operari, quà de re in ancipite evacuatione præſertim, cum Medicinæ parentibus,& rationi ſtandum rara poſt habendo; Quæ enim talia ſunt,non ſunt artis, nequè deſtruunt præcepta Medicinæ quod Joannes Doleus perpendens in ſua Enciclopedia Medica cap. de Hydrope pagina mihi 517. ſcripſit. *Non poſſum quin moneam pleroſque Medicos uſu rerum deceptos fuiſſe, hinc etiam tam multa vana crudelitas perſuaſit de viribus remediorum, & vereor, nè ſæpius nobis imponat lætus felixque ſucceſſus; quandò exiſtimamus quæ evenerunt ea de cauſa eveniſſe quod his aut illis uſi fuimus remediis, & hæc illave Methodo paratis, adhibitiſque, cum tamen plurima ſponte ſua accidant, ut ego non putem uſui, aut experientiæ, ſed rationi in medicina ſtandum eſſe.*

Et

Et si fortè al vi fluxus absquè ægri euphoria contingat nil melius bolo armeno, syrupo Mirtino, Diascordio fracastorii, duplici etenim titulo hæc conferunt, sistunt namquè Diarrhæam, & adstringendo, & sudorem promovendo, undè illud Hypocratis emergit. *Cutis raritas, alvi densitas, & è contra, cutis colligatio &c.* in lib. tertio, sectione tertia, textu primo Epidemior. sudor etenim ab alvo distrahit, sicut mictio plurima &c.

Expleta igitur sanguinis missionis indicatione, si hæc adfuerit omni studio stagnati sanguinis dissolutioni ante sui suppurationem dissolventibus medicaminibus invigilandum est, quibus diaphoresin jugitèr obtinere facile erit ex iis selectiora tantùm adducam, quò ad reliqua Lectorem ad alios remittens authores, apud quos eorum silva extat. Hæc igitur erunt sanguis Hyrci Helmontii more collectus, sperma cæti lapis Bezoar, stibium diaphoreticum,

flores Papaveris erratici, infusio ſtercoris equini in aqua cardui Sancti, & papaveris erratici parata, quà pluriès felicitèr uſus ſum.

Prædictis Diaphoreticis largus aquarum volatilibus ſalibus abundantium potus addendus, illud enim Hypocratis. Corpora cùm quis purgare voluerit fluida facere oportet, non ſolùm alvinæ evacuationi competit, verùm etiam, imò multò magis ſudori, hic enim per inſenſiles cutis poros, ipſam oculorum aciem effugientes arctioreſque meatus, ac ſunt cholidoci, Pancreatici, & inteſtinorum conglomeratarum glanduarum educendus eſt, potent igitur aquas diaphoreticas, haſque excalefactas Card. Sanct. Sonchi ſcorzoneræ, ſcabioſæ &c. undè non deſiderabitur in ſanguine pars aquea, quæ ſalſas, & pituitoſas diluat, & vehiculi loco, ipſis ſit ad ſudorem educendum, ut ad rem Silvius de Laboe ſcribit pag. 489. in tract. 2. de peſte.

Diſ-

Diſſolutionem paritèr promovent localia medicamenta, quæ partim acutis eorum particulis diſſolvunt, partim unctuoſis laxant, ut ſunt fotus anodini, unctiones cum oleo amigdalarum dulciũ, & ſpiritu vini, vel ſalis armoniaci cũ vervecis omento applicito, unguẽtum dialtheę majus paritèr non parum confert.

Subſiſtentis cruoris diſſolutione, & reaſſumptione haud contingente cum reliquum ſit quod in pus tranſeat, opus inſurgit expectorationis in ſtatu, & declinatione morbi promovendæ laxantibus, & lenitivis in decocti pectoralis potiùs quam in ſirupi, & ſaccharatorum formà quo minus fieri poterit parati, ſaccharum enim facile fermenteſcibile eſt, quod patet ex eo quod carnes recentes ſicut per ſal commune præſervantur à putredine, ità aſperſo ſaccharo ſubitò putreſcunt, ut refert Ethmulerius tomo ſecundo pagina ducenteſimaprima, quod experimento Garentier in tractatu de tabe Anglica luculentum ſit,

ille enim frusta duo carnis assumit, & unum ex his saccharo aspergit, altero non consperso, & per noctem relinquit, manè invenit unum putredine correptum alterò non saccharato sinè noxa existente: Succus itaquè liquiritiæ, ejusque decoctum unà cum floribus Papaveris erratici, Violis, Capill. veneris, & passulis ad rem faciet, ut & savonea ex oleo amigdalarum dulcium, spermate cæti, & tantillo sacchari violati conflata, rotulæ paritèr ex diacodion si dolor, & vigilia multùm infestent, usui erunt.

Si fortè expectoratio non succedat, licet interdùm reliquis medicamentis aliquid acidi addere ad majorem incisionem, & ut æger nonnihil ad tussim stimuletur, undè concusso thorace, pleura, ac pulmone pus commovetur, & expuitur, qua de re Hypocrates libr. de affecti. sect. octava textu decimotertio jubet dari potiones acidas, quibus sputum de latere repurgetur, quod confirmat Wedelius de pleuritide, pagina quin-

quingentesimaseptuagesimaoctava, ità scribens. Tussis vel è curanda, vel procuranda, & excitanda, ut in pleuritide, quò in morbo tussi opus est tum ad tumorem frangendum; tùm ad pus expuendum, cumque tussis nil aliud sit, quam spasmodica affectio, jure id innuere quodamodò credendum Hypocratem dicentem. *Pleuritides cum spasmo securiores sunt*; Id explet decoctum hordei cum guttulis aliquot spiritus nitri dulcis, syrupus paritèr violaceus, unà cum tantillo acetosi simplicis; Nec obstat dicere quod acida pectori sint hostilia, dolorem exasperent, atque lentescentiam cujusvis inflammationis parentem adaugeant, id enim utique contingeret ab immoderato acidorum usu, neutiquam verò ab acidiusculis cautè exhibitis, & in visciditate excessivà succi pleuritidèm gignientis.

In morbi declinatione lateris affecti ulcus mundandum, & consolidandum vulnerariis, decoctione videlicèt

Bellidis, Saniculæ, Æderæ terrestris, necnon ∫iorum hypericon, unà cum guttis aliquot balsami Peruuniani, vel Copaibæ.

§. VI.

Anacatharsis in pleuritide modus, & viæ aperiuntur.

PEr quam autèm viam sputa ad asperam arteriam perveniant, hoc opus, hic labor est decernere, undè viam hanc perscrutari multi nequeuntes hàc de causà credidere in pleuritide sputis apparentibus de necessè pulmonē affici, quod cùm à vero quandoque distet, ut jam suprà insinuavi, reliquū est, ut de sputi transitu in solitaria pleuritide proferam. Hanc igitur viam à pleura ad pulmonem perpauci licet authores apertè adhùc demonstraverint, cumque ejus existentiam solitariæ pleuritidis sputa pro certo reddant, omninò creden-

dendum in cadaveribus imperceptibilem hanc esse Anathomicis, undè apposité ajebat Celsus, *Nil stultiùs quam quale, qui dvè vivo homine est tale existimare esse, moriente, imò jam mortuo*, hanc tamèn Celsi authoritatem de nonnullis minimis corporis particulis verificari dicendum, non autèm de toto corpore, aliter anathome, à qua tanquam ab altero quodam sole medici lumen penitus dependet, supervacaneà reputaretur, & cum eadem sit solidi atque fluidi ratio, hujus imò major quò ad vicissitudinum frequentiam, *instabilia namque sunt quæ in fluidis consistant*, Hypocratis asserto, discant ab illa saltem Garruli non nulli Hodierni Medici quantum cęcutiant, dum multiplicibus ipsorum vanis experimentis ex corporis variorum succorum cum variis liquoribus, & chimicis spiritibus mixtione factis, nec non spirituum in viva animalia injectione ex illorum resultantium effectuum discrimine, dissolutionum sci-

ſcilicèt, & coagulationum paritatem indubiam deducunt, idem contingere in corpore vivente, ſicque Æſculapios ſe jactant, novos Aphoriſmos conſcribere audent, medicamentis pænè infinitam, certamque fidem præſtant, & pro arcanis venditant. Diſcant quæſo, diſcant effectuum diverſitatem diſcernere, quæ intrà corpus, ab illa quæ extrà ipſum prorumpit. Item in vivente corpore ab ea, quæ in cadavere contingit tùm ratione ſpirituum tam fermentorum medicaminum vim ſi non immutantium, ſaltem mirum in modum alterantium. Dixi viam in cadaveribus imperceptilem eſſe ſagaciſſimorum Anathomicorum ſolertiæ, in corporibus autem viventium maniſeſtiſſimam naturæque apprimè notam, ipſa enim ſibi vias invenit, quas Medicus reperire nequit, & ut Hypocrates ſcribit, *omnia confluxibilia, & perpauci ad modum abſceſſus ſunt, qui per manifeſtas vias fiunt præ iis*, qui per occul-

occultas. Insuper utris exemplo planum hoc reddam, per hunc enim nec aer, nec oleum, aut aliud quodcunque fluidum transire valet, transibant verò quandò viventis animalis pellis erat, ut salia, à quibus scabies enascebatur, ut sudores quibus persępè corpus inadidũ apparebat testãtur sic in nostris corporibus post mortem nihil pręterlabitur per pulmonis membranam ob immutatam ejus configurationem, ut aer per follem in ipsum inflatus demonstrat, hic enim vessiculas quidèm distendit omnes, nil verò ejusdem per membranæ poros foras exit, exadverso viventes empyci, quorum thorax sectione aperitur ad puris evacuationẽ, pure egresso amararum abstergentium decoctionum in thoracis cavitatem injectarum non saporem tantum, & nauseam in ore percipiunt, verùm decoctiones ipsas sputo reiiciunt; Id quod decoctionis in pulmonis membranam ingressum abundè denotat, nec valet hic credere quod in empycis, quibus

bus tale quid contingit pulmo ſit ulceratus, hinc per ulceris foramen liquor injectus introducatur, quià prætèr quam quod ſanitati nunquam reſtituerentur, *phtiſis namquè neceſſariò perimit*, ex Hypocrate, inſuper ſectionem in empycis ipſe divinus ſenex non proponeret, ſi in ipſis pulmonis ulcus adeſſet, fruſtraneà namquè puris evacuatio eſſet, ejuſdem puris fonte, & ſcaturigine incolumi permanente, ut in hydropicorum à limphæ ductuum ruptura paracenteſi in dies obſervare eſt. Ulteriùs tranſitum per pulmonem ejus membranà integrà exiſtente confirmat Hypocrates lib. de artic. num. 52. vbi ex ſola coſta colliſa, & carne eam inveſtiente contuſa ſanguinem per ſputum reiici faſſus eſt nihil compatiente pulmone, ſed ſola affectione in coſtis exiſtente.

Nequè de hac obſervatione hæſitandum, quæ me præ aliis rationibus ad id ſentiendum induxit, ſputi facilem viam non coaffecto pulmone demonſtran-

ſtrante, an obſervatio ſcilicèt protinùs fida, & circumſpecta fuerit, *Hyppocrates enim*, ajente Macrobio, *nec falli, nec fallere didicit*, undè quod attentè perpenderit cenſendum, an ſputum ſanguinis ex coſta colliſa, & carne contuſa, vel è pulmone evenerit, ex vi ſcilicet contranisûs coſtarum à percuſſione inducta, ut ſæpè ſæpiùs contingit quod ex caſu ab alto contunditur circà coſtas caro, & contingit inſimùl ſanguinis ſputum, quod ex pulmonis vaſe rupto accidit ob coſtarum contraniſum, quà de re decernendum per membranam pulmonem cingentem, quam Pepuetus in diſſertatione Anathomica de reſpiratione imperviam ſtatuit ſaltem ab interioribus pulmonis partibus ad exteriora, & non è contrà pleuriticorum pus in cavitatẽ thoracis effuſum in expirationis actu, quo contractus thorax pulmonem tangit pertranſire poſſe per tunicæ foramina in veſſiculas quaſdam

dam certas desinentia, in bronchia patentes, quæ sursùm quidèm admittunt aerem, pus, vapores, calidos alios liquores ad os ferri per pulmonem, sed regredienti aeri obstant, sivè membranulæ obiectu valvulæ instar, sivè quocunque obstaculo, nec dùm satis oculis manifesto, ut Thomas Bartholinus scribit in sectione tertia diatribis de pulmonum substantia, & motu à famigeratissimo Malpighio relatus in suis operibus, indèque vi aeris tussi expulsi ad arteriam asperam attollitur, tandèmque expuitur, quod cum aliquali certè conatu fit, ardua enim est penetratio ista, hinc haùd sempèr contingit, & hoc vel ob puris crassitiem, vel ob membranæ pororum exiguitatem diversam configurationem, ac quam habet, intromittendum pus sortientium.

Hæc sunt quæ hactenùs proprii studii causà cõtextere mihi licuit Senecæ inhęrenti consilio de vit. Beat. C. trigesimo.

Hoc

Hoc ab homine exigitur ut proſit hominibus ſi fieri poteſt multis, ſi minùs paucis, ſi minus proximis, ſi minus ſibi.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

FINIS.

Errata		*sic*	*Corrige*
Pag.17.	moſculorum		muſculorum
Pag.32.	ſemibibus		ſeminibus
Pag.33.	à		ea
Pag.34.		*adde*	vel ex repletione
Pag.35.	Auctoribus		Authoribus
Pag.48.	*deme* ut utuntur		
Pag.48.	tentioneſque		tentiones
Pag.56.	Quo		Quod
Pag.56.	Auctorum		Authorum
Pag.58.	ſextà		ſexto
Pag.71.	patim		partim.
Pag.116.	ſpernentem		ſpernentes
Pag.127.	Valieſius		Valleſius

